
1
6
458







1-6-458

A

XIV

OPERA:

1.a 6-458

OPPIANI POETAE

ALIEVTICON, SIVE DE PISCIBVS,

Libri quinq; e græco traducti ad Antonium Imperatorem.

Post Oppianum sequuntur Disticha ultra centum de rebus uarijs oppido q; elegantissima, authore Laurentio Lippio Collensi, interprete librorum quinq; Oppiani.

C. PLINII SECVNDI NATVRALIS HIstoriæ libri duo, in quorum priori quidem tractat de naturis piscium, in altero uero de medicinis ex aquatilibus siue piscibus.

PAVLI ITEM IOVII DE PISCIBVS liber unus, qui est uelut commentarius in priorem Plinij librum de piscibus, quemadmodum prior Plinij liber in Oppianum.

Hos non contemnendos authores Iohannes Cæsarius, uir non mediocris eruditionis, ad perpendiculum recognouit, castigauit, simulq; & scholijs passim explanauit.

ARGENTORATI EXCVDEBAT IAcobus Cammerlander Moguntinus.
Anno M. D. XXXIIII.
Mense Februario.

ILLVSTRI ET GE-
NEROSO DOMINO, DOMINO REI-
nero e comitibus a Vuesterborch Decano & Cano
nico insignis ac maioris ecclesiæ Coloniensis
&c. uiro dignissimo magnificentissimoq́;
Ioannes Cæsarius Salutem.

QVOD bona fide promittitur, sit sæpe-
numero, ut differatur aliquandiu, nõ eti
am auferatur. Quorsum istud, inquies
fortassis uir dignissime, comesq́; illu-
stris & generose? En prodijt nunc tandẽ
per me tuæ gratiæ aliquando promissus
Oppianus de piscibus, author mire iucũdus, imo mirus
artifex, ut qui naturas & mores pisciũ per libros quinq;
carmine sic explicauit, ut propemodum ad miraculum
sit illorum naturas ex his cognoscere atq; intelligere.
Quid enim his ipsis in tota rerũ natura mirabilius? Pro-
dijt inquam tandem sub tuo auspicio Oppianus, sed nõ
absq; fœnore, ut cui adiuncti sint libri duo Caij Plinij e-
iusdem argumenti, in quorum priore quidem de naturis
aquatilium siue piscium ex professo tractat idem Plini-
us: unde & hic liber instar commentariorum in Oppia-
num haberi possit, in altero uero de medicinis ex aquati-
libus. Qui libri omnes, uidelicet Oppiani quinq; & Pli-
nij duo per me non parua diligentia recogniti & castiga
ti sunt, simulq́; & scholijs passim explanati, ut eorum in-
tellectus citius percipiatur ab ijs, quibus non est percipi
endi uis tam prompta, ut multis. Cæterum duobus Pli-
nij libris protinus subiunctus est liber unus Pauli Iouij
de piscibus Romanis, ab ipso ita inscriptus, in quo tamẽ

ij obi

obiter nullum fere genus piscium pretermittit, cuius naturam & proprietatem non diligētissime exequatur, ita ut hic liber uelut commentarius uideatur esse non in Plinium modo, sed & in Oppianum ipsum. Itaq; hic modo facile animaduertere potest tua gratia me non sine ratione id cum primis conatum, ut tarditas illa promissionis soluendæ utilitate accessus compensetur. Nec dubito ipse, si quidem animi tui candorem, imo & ingenium tuę gratiæ ad rerum cognitionem mirifice propēsum recte noui, quin hunc nostrum conatum tali animo lubens sis amplexurus, & si exiguū est quod offero ac dedico magnificentiæ tuæ, dignæ profecto anathemate longe maiori. Bene ualeat tua gratia, quæ & me sibi commendatum semper uelit.

Moguntiæ ex ædibus Dominorum Teutonicorum. An. M. D. XXXIII. mense Septembri.

VETERA ET RECENTIA NOMINA PISCIUM, MARINORUM, LACUSTRIUM, & FLUUIATILIUM, QUÆ IN OPPIANI, PLINIJ, PAULIQ; IOUIJ LIBRIS CONTINENTUR.

INDEX.

M

N

O

P

Q

Vita

VITA OPPIANI

LAVRENTII LIPPII COLLENſis ad Laurentium Medicem.

OPpianus poeta patre Ageſilao, matre Zenodota natus: genere autem a Zarbo Ciliciæ ciuitate. Cęterum quū pater eius opulētus eſſet, & in republica inter primates iudicatus, in philoſophia plurimū excellebat: & philoſophicam uitam ducebat: & in huiuſcemodi diſciplina: & in omnibus liberalibus artibus filium erudiuit, præcipue in Muſica, Geometria, & Grammatica. Quum Oppianus triginta annos natus eſſet, Seuerus Romanorum imperator Zarbum uenit (oportebat enim omnes reipublicę optimates obuiam Imperatori ire). Quū Ageſilaus Oppiani pater hoc parui faceret, ueluti homo qui philoſophicam uitam ageret, & inanem gloriam contemptui haberet: Imperator hoc iniquo animo tulit, & illum in Miletum Adriatici maris inſulam in exiliū miſit, in qua quū Oppianus patri congrederetur, ſcripſit hæc clariſſima poemata, & Romam profectus tempore Antonini imperatoris filij Seueri (Seuerus enim in fata conceſſerat) hoc obtulit uolumen, & dignus iudicatus eſt, ut impetraret quid animo ſederet. Ille regreſſum patris ab exilio petiuit, quod aſſecutus eſt, & pro quolibet carmine aureum numiſma ſuſcepit, & in patriam cum patre regreſſus, ſæuiente in ciuitate Zarbi paulo poſt peſte obijt. Ciues enim eum ſepelierunt, & ſumptuoſam ſtatuam illi erexerunt, & inſcripſerunt hoc epigramma:

Oppianus uatum decus immortale fuiſſem,
Inuida ni gelidum rapuiſſet Parca ſub orcum

PROOEMIVM.

Me iuuenem, placidæ clarum splendore camœnæ:
Ni liuor longæ uiolasset tempora uitæ:
Non mihi laude parem quenq̃ terra alma tulisset.
Scripsit alia poemata: Vixit annis triginta: habet stilũ floridum & planum cum facundia & maturitate, quod difficillimum est, & in sententijs & parabolis præcipue excellit. De quo sic meminit Eusebius in libro de temporibus: Tẽpore Antonini imperatoris anno eius imperij decimo ducentesima trigesima septima olympiade: anno mundi 5370. anno domini centesimo septuagesimo secundo. Ab anno Nini regis 2185. Oppianus Cilix poeta cognoscitur, qui alieutica miro splendore cõscribit.

LAVRENTII LIPPII COLLENSIS PROEMIVM

super interpretatione Oppiani ad Laurentium Medicem.

Lydorum spes una uirum, in quo tota recumbit
Tuscia, & alpinis positæ sub montibus urbes.
Non totum Etrusci teneant te rostra senatus:
Attoniti semper non spectent ora Quirites.
Sed Pelopis uises terras, Alphæaq; rura
Nestoreis regnata uiris, hic Arnus amœnus:
Hic mare Tyrrhenum uicina fluctuat unda.
Est instructa ratis, uastum sulcabimus æquor.
Dux erit Oppianus, qui celsa in puppe sedenti
Ostentet sedes, & pascua læta natantum:
Narrabit fœtus ponti, narrabit amores:
Bella, dolos, artes, odium, concubia, ludos:
Atq; uias pelagi placido sermone leuabit.

Sipo-

Si ponant uenti pacata æqualiter unda
Sit mare tranquillum, pronus tunc ære recuruo
Decipiet ponti turmas: nassamq́ capacem
Appendet scopulo, subit iremeabile septum
Lubrica turba maris, prædam referemus opimam.
Tunc licet in ternas prædam discindere partes.
Auspicijs est capta tuis, tibi prima futura
Portio: piscanti debetur iure secunda.
Sum comes, & curuis humeris tibi retia porto:
Nodososq́ sinus pando, maculosaq́ lina,
Tertia debetur tanto mihi præda labore.
Nec te commoueant pelagi solatia tantum,
Nec te commoueat, quod præmia prima reportas,
Te saltem arripiat diuini gloria cantus.
Languida piscandi reparat quum membra labore
Vates, dulcisono modulatur pectine uersus.
Carmine mulcetur delphin, ducitq́ choreas,
Circum multisoni saliunt magna agmina ponti.
Vndæ subsidunt cantu, scopuliq́ mouentur,
Circundant sacrum scopuli longo ordine uatem.
Ilia quum uatis defecta uoce fathiscunt,
Succedo tanto lætus, subeoq́ labori,
Et releuo fessum substentans carmine uatem.
Quid tardas? ponto Laurenti est parta uoluptas.
Continuo properes Pisanas uisere turres,
Et simul immensum cymba lustrabimus æquor.
Non sine te nobis Medices iocunda uoluptas,
Et licet exiliant, & lubrica terga reuoluant
Pisces, & uates uersu demulceat undas.

☞ ARGVMENTVM

TOTIVS LIBRI LAVRENTII

Lippij Collensis ad Laurentium Medicem.

PRimus habet coitus, proles, & pascua ponti:
Ostendit fraudes, cædes & bella secundus.
Tertius in pisces hamos, & retia iactat.
Ducit amor quarto captos in fata natantes.
Delphis amat quinto, pereuntq; ingentia cete.

☞ ARGVMENTVM

super interpretatione primi libri.

IN primo ueniunt ad pascua læta cohortes
Aequoris, & scarus pallentes ruminat herbas.
Pompilus associat nautas, sequiturq; carinas.
Attoniti remoræ ponti miracula paruæ
Viderunt nautæ, noscit patriam atq; penates
Astacus, in propriam cupiens remeare cauernam.
Carcenades spolium subeunt, tergoq; coaptant.
Nautilus in ponto sub nauis imagine ludit.
Neptuno delphin monstrat Nereida pulchram.
Et coeunt pisces, atq; agmina magna natantum
Euxinos sulcant fluctus, atq; oua resoluunt,
Et fœtus edunt, & pignora chara tuentur.
Præcipue delphin princeps, uituliq; marini
Infantes catulos miro sectantur amore.

Op=

OPPIANI DE PISCIBVS LAVRENTIO LIPPIO Collensi interprete Liber primus.

DIsperſas ponti gentes, acieſq; natantum
Sq̃migeras almę uariũ genus amphitrites
Antonine canã, rerũ cui ſumma poteſtas,
Quæq; ꝓcelloſis habitãt ſub fluctibus alti:
Quęq; maris ueniũt ad paſcua lęta cohor=
Et uitam, & madidas gẽtes, madidos hymenæos, (tes:
Turpe odium, & dulces Veneris cantabo furores:
Conſilia & uarias fraudes, arteſq; doloſas:
Quæq; audax mortale genus ſuper agmine ponti
Struxerit, & ratibus ſulcans ſecreta profundi.
Multa occulta prius uaſto ſub marmore uidit,
Artibus immenſum eſt pelagus, maris ima recluſa.
Proſpectat uenator aprum ſub montibus altis
Depaſtum, atq; urſum diuerſa ex parte ruentem.
Eminus hunc campo longe iaculatur aperto,
Atq; palam ferro proſternit cominus illum.
Horrida ſecuro committit prælia campo
Et fera uenatorq; ſimul, greſſumq; ſequuntur
Pone canes, dominos ducunt ad luſtra ferarum
Aſpera, nec gelidæ tantum mala tempora brumæ
Horrorem incutient illis, tantoſq; calores
Non feret autumnus, defeſſi multa laborem
Venantis tollunt, nec deſunt gaudia feſſo,
Vmbroſæ ſyluæ, natiui pumicis antra,
De celſo fluuij labuntur monte perennes.
Hinc medicina ſitis, hinc eſt medicina lauacri,
Et propter liquidas undas, & læta fluenta.

Pro tollunt, põt legi, releuant, ut ſit ſenſus, Multa tollunt uel releuant laborem defeſſi uenãtis, multa inquã, ut umbroſæ ſyluæ, & antra natiui pumicis uel tofi, & riuuli ſiue fõtes, qui prope adſũt.

Sunt molles herbæ proſtrata cubilia ſomno,
Quin etiam uiridi diſcumbens feſſus in herba
Appones quæ ſylua feret, quæ plurima monte
Naſcuntur, ſequitur uenantem multa uoluptas,
Et cui piſcandi peior collata uidetur
Gratia, tot campo, tot ſunt mera gaudia ſyluæ.
At facilem paruo captat diſcrimine prædam,
Qui mortem molitur aui, uidet omnia paſſim,
Lethœo uolucres perfuſas membra ſopore
Clam rapit`e nido, facili uel decipit arte,
Aſperſis uiſco calamis, uel retia tendit.
Dumq́; petit nidum ſomno deuicta uolucris
Incidit in caſſes, ſubit & male cauta periclum.
Vndarum patiens occulta pericula ponti
Piſcator perferre ſolet certamine tanto,
Spes mulcet mentem uanoq́; ſimillima ſomno,
Nulla ſupra firmam committit prælia terram.
In rigidis pugnat lymphis, tumidumq́; per æſtum
Tollitur`a fluctu uentis agitatus iniquis.
Fit timor ex terra piſcantis bella tueri,
Nauigat in tenui cymba, ſeruitq́; procellis
Errando, atq; animum tumida defigit in unda,
Et ſpectat nebulas atras, horretq́; nigrantes
Vndarum ſulcare uias ſpirantibus auſtris,
Nulla fuga, & nullos uenientes effugit imbres,
Et miſeri æſtiuos nequeunt uitare calores,
Et ſecreta latent ſæui diſcrimina ponti,
Obuia quæ ueniunt horrent immania cete.
Per freta nulla canum monſtrant ueſtigia prædæ,
Nullaq́; ſub lymphis proſpectant ſigna natantes,
Non prædam aduerſa cernunt de parte ruentem.
Quum piſces uarios ſoleant percurrere calles,

Debilibus ſetis hamo piſcantur acuto,
Et lino & calamis, hæc ſunt ſua robora tantum.
Quàm iocunda tuam capient ſolatia mentem,
Si fuerit cordi piſcandi læta uoluptas,
Duceris uolucri ſpacioſa per æquora naui,
Cui ſit remigium pulchrum, fortiſq; iuuentus,
Sint bene compacti claui, ſint tranſtra decore
Iuncta, regat nauem celſa de puppe magiſter
Ventorum expertus nauem, quæ iudice nullo
Culpari poſſit, uentis immota reſiſtat.
Lata gubernator findat uiuaria puppi.
Hic ubi ttanquillis uulgo paſcuntur in undis
Squamigeræ gentes, his pabula læta feruntur
A ſeruis, promptæ ſaturant hæc agmina prædæ,
Quæ nato atq; tibi (o fœlix) ſunt certa beato
Gloria piſcandi, calamum demitte ſub undam
Implicitum ſetis, hamo cito piſcis inhæret,
Sponte ducis trahitur manibus, fortiſſime princeps,
Ah quàm blanda tuam pertentant gaudia mentem,
Multa ſupercilijs & toto in pectore regis
Lætitia eſt, piſcem calamis ſpectare ligatum,
Atq; reluctantem, uel lubrica terga mouentem.
Nunc adſis Neptune mihi Saturnia proles,
Qui terras pontumq; tenes, adſis mare uaſtum,
Et uos multiſoni mihi peruia numina ponti
Ferte pedem, ueſtras acies, & monſtra natantum
Cantabo, noſtrum carmen regina ſacrati
Calliopea chori, nato magnoq; parenti
Sit gratum, atq; tui ſpira mihi munera cantus.
Innumeræ pelago gentes uoluuntur in imo
Nantes, quæ numerum uincunt, ſunt abdita nobis
Plurima monſtra maris. Quis poſſet nomina uerſu

Per uiuaria, æquora intelligi uult.

Inuocatio poetarum more.

Aedere, quis ponti metas, quis nomina dicet?
Terdenas ad summum ulnas nouere sub undis
Mortales, sed multa latent immensa profundi,
Aequora sub uasto spirant tot gurgite pisces.
Sunt uires menti tenues mortalibus ægris.
Abdita non possunt humana uoce referri.
Alma parens tellus non agmina plura ferarum,
Nec maiora tulit, quàm uastus in æquore pontus.
Norunt cœlicolæ numerum pensare natantum,
Terrestresq; acies, an partes æquet utrasq;
Calculus, humana quantum comprehendere mente
Possumus, expediam numerum, uictumq; uiasq;.
Nonnulli flauam pisces in littore harenam
Mandunt, & terra quicquid nutritur in alta,
Hippi, coccyges celeres, flauiq; erythini,
Citargi, triglæq; simul, tenues melanuri,
Tnachurorúq; greges, buglossiq; & platiuri,
Tæniæ imbelles, & picto mormylus ore,
Scombri, cyprini stabulantur litora iuxta.
Ast alij cœno turpi, fœdaq; palude
Pascuntur, batidesq; boum genus omne proteruum,
Difficilis trygon, torpedo nomine uero,
Et clariæ, psettæ, scepani, triglis, asellus.
Atq; lacertorum gentes, quæ putrida pascunt
Inter cœnosas uoluentes corpora sordes.
Per molles tantum ripas, herbasq; uirentes,
Smarides, brenni cum scaris, boces utriq;,
Mænides, & tragi simul, atherina uagantur.
Cestrees, & cephali iustum genus amphitrites,
Labrax, audaces amiæ, placidæq; chremetes,
Pelamides, congri (quem dicunt nomine oliston)
Aequora, quæ fluuio, quæ sunt uicina paludi

Quē hic piscem Citargum uocat interpres, eundē Aristot. κίθαρον Oppian. κιθαρὴν appellat.

In-

Incoluisse solent, qua dulcis terminus undæ,
Et fluctus cœno commixtus uortice multo
Voluitur à terra, pisces hic pascua læta
Accipiunt, pingui distendunt membra sagina.
Ex ponto fluuij dirus petit ostia labrax:
Ex fluuio anguillæ repunt, pluuiaq́ue lacuna
In uastum pontum: scopulos (quos abluit unda)
Alga consperso, & multo murice tectos,
Salpæ habitant uarijs distincti tergora signis,
Iulides, & percæ, channi, turdiq́ue uirentes,
Phucides eunuchi uero de nomine dictæ,
Scirris saltator, mullus, syene, basiliscus,
Aspera saxa colunt imo defixa profundo.
His addas roseo splendentes corpore triglas,
Sunt udæ cautes herbis à fronte uirentes,
Hic domus est sargis, hæc statio læta sciænis,
Et faber, & nigro cui nomina dicta colore,
Hæc coracinus habet, hæc scarus saxa frequentat,
Qui mites inter pisces clamore tremendo
Intonat, & solus pallentes ruminat herbas,
Ac ueluti pecudes reuocat sub guttura pastum.
Ast imos scopulos, fundo quos ostrea multo
Cingit, queis thalami curui, queis lustra profunda
Osophagi, scombri, pugnax murena frequentat:
Addas oxiphagos istis, atq́ue agriophagos,
His iungas tarde morientem piscibus orphum:
In partes scissi luctantur corporis artus.
Multi alij pisces fundo uersantur in imo,
Et caua saxa colunt specie formaq́ue decentes,
Excelsi, fortes, magni, sed corpore pigro,
Se mutant, nunquàm tales sua lustra relinquunt,
Piscibus insidias tendunt, si forte sub antrum

κίῤῥις legitur apud Oppian.

nigro cui nomina dicta colore, ad coracinum referenda est hæc depictio siue descriptio, nam apud Oppianum sic legitur, καὶ κορακῖνον ἐπώνυμον αἴθοπι χροιῆ.

Inciderint, subito pellunt in funera fato.
Hos inter pisces segnis numeratur asellus:
Qui canis æstiui motu concussus acerbo
Ingreditur duras cautes, atroq; recessu
Occulitur: tali dum feruet sydere cœlum.
Est inter scopulos (ponti quos abluit unda)
Piscis ab acteis quondam cantatus adonis.
Multi, exocoiton dicunt, q; prosilit undis
In littus, sicca ponens tellure cubile:
In quibus à rictu se tendunt undiq; branchæ.
E ponto in terram solus descendit Adonis:
Squamea tunc dulci componit membra sopore:
Quum mare tranquillum, tumidis quũ tollitur undis:
E somno surgit, dormit porrectus in antro:
Formidat pelagi uolucres, quas horret ut hostes:
Et si quam cœlo labentem uiderit alto
Saltanti similis quatitur: sic marmoris unda
Concita demergit hunc in spelea profundi.
Cautibus & bibula multi pascuntur harena
Auratæ fuluæ splendoris nomine dictæ,
Et simi, & glauci, & densato dente dracones.
Scorpius in pugna fortis, genus unde gemellum:
Ambæ sphyrenæ longæ, tenuesq; belonæ,
Gobius & charax, magna leuitate natantes
Audaces mures non magno corpore fidunt,
Viribus haud magnis, sed dura pelle uigorem
Ostentant, firmi confidunt robore tergi:
Contra mortales pugnant, contra agmina ponti.
Innumeros addas istis, qui à littore longe
Veliferos habitant fluctus tellure relicta.
Sunt celeres thynni, qui pisces impete uasto
Pellunt, & gladij diro mucrone potentes.

Or-

Orcynon gentes & prenades, atq; cybiæ
Obliquæ, scytalæq;, hippuron maxima turba.
Pompilus his habitat petris, hunc lætus honorat
Nauita: q; socium nautis se pompilus offert,
Nomen habet: gaudet celeres per marmora euntes
Associare rates: cursum uentumq; sequuntur,
Saltantes circum celsæ latera alta carinæ.
Nonnulli puppim, & curuæ moderamina nauis
Prendunt: ast illi collecti examine multo
Pendent à prora, dicas non sponte secutos,
Inuitosq; trahi, nec posse obsistere contra,
Tanto uelíferæ nauis rapiuntur amore:
Et ueluti regem uel cinctum tempora serto
Victorem textis ramis & fronde uirentem
Prouecti patres, & primo flore iuuentus
Stipant: & circum densi lætiq; feruntur:
Donec uictorem sub splendida tecta reducant.
Sic isti ad terram nauem comitantur ouantes
Connexi circum densi: sed littora postquàm
Aspiciunt: odium terræ immortale recondunt.
Extemplo celeres ueluti de carcere pisces
Erumpunt, saltu nauem cursumq; relinquunt:
Dant certum nautis signum, q; terra propinqua est:
Fortia quum duros dissoluunt agmina nodos.
Pompile te nautæ miro uenerantur amore:
Per te diuinant tranquillas æquoris auras:
Pacatus uenias sternens freta lata profundi.
Est etiam salsis undis Echeneis amica:
Quæ latis membris, & nigro fusca colore,
Non cubitum excedit totos porrecta per artus,
Aspectu anguillæ similis: sub uortice summo
Stat rictus, curuum circum deductus in orbem:

Cui non dissimilem forma mucrone corusco
Esse hamum credas, sic os portendit acutum.
Attoniti nautæ parui miracula piscis
Spectarunt maiora fide, quis crederet unquàm
Mortalis? proprias si fama attingeret aures.
Ignaræ gentes rerum caligine mersæ
Indomitam seruant mentem sub pectore duro,
Non uerum admittunt, nec dictis iure quiescunt.

quiescunt pro acquiescunt.

Expansis uelis compulsam flamine uenit
Sulcantem fluctus & cœrula uada profundi
Apprensam magno nauem non sistit hiatu,
Viribus adnitens pendet de naue supinus.
Non fluctus scindit nauis, sed firma tenetur:
Non aliter quàm si portu deuincta quiescat.
Et stridunt spiris uela exagitata rudentum:
Concussi reboant funes, antemnaq; nutat,
Et strepitu properata fremit de puppe, magister
Compellit nauem, cunctasq; relaxat habenas,
Nec detenta ratis laxo temone mouetur:
Nec paret uentis, nec mota impellitur unda,
Sed compulsa manet, cursum motumq; reuincta
Sistit, & abiecti piscis retinetur ab ore,
Non aliter radix terra defixa sub alta est.

non sistit hiatu. Aduerbium, nō, referendum est non ad uerbum sistit, sed ad adiectiuum, magno, ut sit sensus, sistit nauem hiatu non magno apprehensam, nam græce legitur, ἰχθῦσ ἀμφιχανὼν ὀλίγον σομὰ νέρθεν ἐρύκει

Nautæ formidant turbati uincula ponti,
Rem miram & somno similem de puppe uidentes.
At ueluti in sylua ceruam de rupe fugacem
Spectat uenator cautus, celeremq; sagittam
Dirigit in pectus, quæ cruri infixa moratur
Cursum, tunc multo plagæ confecta dolore
Cerua inuita manet, uenantis uulnera diri
Ostendens, nauem tali sub compede sistit,
Consona miraclo sortitus nomina piscis.

Echeneis, sic dictus est hic piscis nomen sortitus quod nauem teneat. Latinis remora dicitur a remorando nauē, sed græca etymologia propius accedit ad rei proprietatem.

Chalcides & thrissæ passim abramidesq; feruntur:
Atq; cateruatim percurrunt æquoris undas,
Et curuis habitant scopulis, & littora uisunt,
Alternatq; uias ponti, curruntq; per æquor,
Hospitium mutant semper, pontoq; uagantur.
Anthieon petris sunt pascua grata profundis,
Non illis semper gaudent, uulgoq; trahuntur,
Quo gula, quo uentris iubet insatiata libido:
Ante alios istos compellunt œstra palati,
Et non dentato sunt pascua læta sub ore.
Quatuor anthieon species uersantur in undis,
Sunt flauæ & niueæ, sunt atro sanguine fuscæ,
Euopos atq; aulopos hos nomine dicunt:
Namq; supercilium circum referatur in orbem.
At duo muniti duro thorace natantes,
Carabus insidias faciens, atq; astacus acer,
In saxis habitant curuis, & pascua carpunt.
Astacus immensum thalami sub pectore amorem
Condit sponte sua, nunquàm de limine cedit.
Inuitum si quis piscem traducat in altum:
In propriam subito gestit remeare cauernam,
Et cupit, & quærit illo saltare profundo,
Ex quo piscator cymba linoq; fugauit.
Non alios ponti non uult habitare recessus,
Non aliam quærit patriam, sed sæpe penates
Dimissos repetit, consuetaq; saxa reuisit.
Sic dulcem patriam gentes cupiere natantum
Et pontum, & natale solum, quod stillat amorem
Illis, & pectus spargit dulcedine blanda.
Mortali generi patria quid dulcius extat?
Quid grauius misero? si longis finibus errans
Sit procul à patria, uitam tolerare coactus,

Oestrum hic pro furore posuit, ut sit œstrum palati idem furor palati & gula ipsa, siue ædendi cupiditas.

Exilium, durumq́ iugum perferre necesse est
Externas inter gentes ignotaq́ rura.
Errones cancri populis numerantur in istis
Squillarum gentes, & turba immensa paguron.

Hic ostrea numero singulari usurpatur pro testa, quo etiam numero usurpatum est a Lucilio, ut autor est Nonius Marcellus.

Ast alij pisces omnes (quos ostrea claudit)
Et terra, & liquidis semper spatiantur in undis:
Ostracon amittunt: aliud sed corpore summo
Germinat, & tegmen renouatur carne recenti.
Quum uires norunt se disrumpentis amictus:
Affectant epulas, & pascua læta requirunt:
Vt saturo faciles disrumpant corpore crustas.
Labitur e toto quum ruptum corpore tegmen:
Hi primum in fulua nunquam lætantur harena:
Nec pastum capiunt, nec quicquam mente reuoluunt,
Expectant mortem, uitales ore calores
Non spirant, tenui formidant omnia pelle,
Quæ nuper creuit tenero sub tegmine: pisces
Ne quicquam audentes sicca pascuntur harena:
Sunt timidi, donec firmentur tegmina membris.
Ac ueluti medicus languentem corpore curat:
Atq́ uetat primis epulas gustare diebus,
Attenuans calidas morboso in corpore uires.
Paulatim præbens æpulas quæ languida membra
Instaurant: donec tanto sint membra dolore
Purgata, & uires restent in corpore firmæ.
Sic crustis nuper natis sua membra paguri
Curant, letiferum cupientes pellere fatum.

Apud Oppian. in græco exemplari legitur σκορδύλος quanquam in Aristot. legatur κορδύλη. quoque.

Pisces æquoreis alij uoluuntur in undis,
Polypodes multis sparsi per membra flagellis
Cordylos & scolopendra, malum quæ spirat odorem
Piscanti infestum, curuos quum porrigit hamos.
Osmylus, & reliqui terra pontoq́ mouentur.

Agri-

Agricola incuruus: cui sunt plantaria curæ,
Osmylon ad teneros serpentem litore ramos
Vidit pomiferis reptantem polypon aruis,
Implicitum ramis oleæ, fructusq́ uorantem.
Hos inter pisces similiq́ cupidine fertur
Sepia: sunt alij, durum quos ostracon armat.
Hi scopulis curuis, isti pascuntur harena.
Neritæ, & strombon gentes, & purpura rubra,
Caryces, mures, & uero nomine donax,
Ostrea rore uiuens, telis armatus echinus.
Hos si quis paulum scissos demittat in undas,
Nempe reuiuiscunt, uastoq́ sub æquore ludunt.
Carcinades nudæ nascuntur tegmine uulso:
Atq́ sibi fabricant tegetem, dorsoq́ coaptant,
Et non legitimum subeunt testudine tectum
Imbelles, fragiles tenui per membra uigore.
Quum tegetes uideant uacuas, quibus incola morte
Functus, deserto domino dimiserit antrum:
Has subeunt tegetes, alieno in cortice degunt.
Hoc tecto serpunt lato, septoq́ teguntur.
Neritæ si quæ spolium, uel lurida carex,
Vel strombus durus linquat, sunt tegmine lætæ,
Præcipue strombi, gaudent sub tergore lato.
Est amplum illius tectum, sed pondere paruo
Quum latis crescunt membris, implentq́ recessus
Carcinades tegetis, tunc paruula tecta relinquunt,
Maioremq́ domum maiora palatia quærunt.
Sæpe etiam circa spolium certamine multo
Contendunt: subito duro sub Marte repulsa
Inferior: uictrix lato se condit in antro.
Est quidam curuo tectus sub cortice piscis,
Polypodi similis: quem dicunt nomine uero

Vt sit strombon genitiuus pluralis pro strombo rum, nam græce est, στρόμβων τὸ γένος.

Nau-

Nautilon, insignem ponto sua gloria fecit,
Per freta dum cautus sub nauis imagine ludit.
In sabulo domus est, summa defertur in unda
Pronus, neu pontum capiat, plenusq; grauetur.
Quum nando uehitur per fluctus amphitrites
Extemplo uersus tumidam per marmoris undam
Labitur, ut nandi doctus, puppisq; peritus.
Atq; pedes geminos tendit de more rudentum.
Quos inter medios tenues membrana tumescit
Extenta, atq; pedes contingunt æquora subter
Temoni assimiles, nauem, piscemq; domumq;
Deducunt, si forte malum supereminet ullum,
Absorbet fluctus intro, lymphisq; grauatus
A tumidis trahitur cum pondere fluctibus undæ.
Seu mortalis erat, seu missum numen ab alto,
Audax ille fuit, qui primum marmora findens,
Piscis opus cernens humanos traxit in usus,
Construxit naues, extendens carbasa uentis,
Explicuit funes, faciles moderatus habenas.
Miraclum ponti narrant ingentia cete,
Viribus inuictis, & uasta mole mouentur
Pondere cum magno, timor est mihi sæpe uidere.
Armantur rabie, rabiem fera pectora anhelant.
In littus pauca exiliunt, quæ corpore uasto
Sunt, hæc ueliferis semper uoluuntur in undis,
Magno horrore leo, post hos horrenda zygæna,
Pantheræ uariæ maculis, ranæq; furentes
Atq; melanthynon gentes, & dente timenda
Præstis, letiferum lamnæ fœdumq; barathrum
Mollitiæ nomen malthe quæ ferre uidetur.
Cornu aries pugnax, & sacrum pondus hyœnæ.
Atq; pudenda canum gens, & furibunda propago

Diuisa in gentes ternas, hæc horrida uisu,
Cum cetis numerata furit per marmoris undam:
Quæ restant, aliæ cœno merguntur in alto.
Pugnaces inter pisces centrina uocatur:
Altera quæ stimulis credatur noxia nigris:
Tertia dicetur galeorum nomine turba.
Ast galeis alias gentes numeramus achantas,
Leosq́ue, & catulos, squatinas adiungimus istis
Acres & uarias: cœno merguntur in alto.
Hi pariter cuncti pastu capiuntur eodem.
Delphines ludunt circum resonantia ponti
Littora: sed nunquam discedunt marmore uasto:
Hos Neptunus amat: nam quum Nereida pulchram
Quæreret, & castæ peteret connubia nymphæ:
Oceani thalamis delphin sacer amphitriten,
Spernentem tædas fertur docuisse latentem.
At deus arripuit charam, domuitq́ue puellam:
Reginam ponti fecit, thalamoq́ue iugauit.
Hinc est delphinas tanto dignatus honore:
Ex illo propria delegit sorte ministros.
Sunt diri ex pelago quicunq́ue littora pisces
Repunt, frugiferos lustrantes longius agros.
Curuaq́ue lunatæ testudo in imagine peltæ,
Et sicca anguillæ multum tellure morantur:
Castorides querulam fundunt in littore uocem
Cum sonitu mœsto, quæ si percusserit aures,
Vox lachrymanda uiris, letalis nuntia fati:
Mortiferæ auditor uocis non funera longe
Expectat: mortem tristi clamore futuram
Prædicit nobis miseris sæuissima pestis:
Phalænam fœdam dicas, quæ e marmore lato
Desilit in terram solem passura calentem.

Extra undas phocæ consumunt tempora noctis,
Sæpe die fessos artus in littore ponunt,
In terra dulci soluentes membra sopore.
Iuppiter altitonans in te sunt omnia solo:
Ex te firma manent, seu celsa palatia cœli,
Siue locum quemcunqꝫ tenes, non uoce referri
Humana posses: quanto sub pacis amore
Per te dispositus clarus seiungitur æther.
Aeris & uacuum, & terræ circumfluus humor,
Et tellus rerum mater, nam singula primo
Sunt distincta locis, & certo fœdere iuncta,
Et nodi inuicti concordi pace ligata:
Et fatis immota suis coniuncta trahuntur:
Aeris admittit partem tenuissimus æther.
Immensus tumidis non est sine fluctibus aer:
Non lymphæ terra uacuæ: sic mixta creantur:
Sic elementa uices seruant hoc iuncta tenore,
Alternantqꝫ uias generi seruire parata
Externo, & pelagi gentes, & monstra natantum
In campis ludunt, uolucres ex aere magno
In pontum ueniunt, liquidis merguntur in undis
Alcyonum mœstæ uolucres, aquilæqꝫ marinæ:
Et mergi, & reliquæ cupientes æquore prædam
Merguntur lymphis, & findunt aera magnum.
Lolligo, miluusqꝫ rapax, & mitis hirundo:
Quum timeant magnum uenientem è marmore piscē:
Ex mare prosiliunt scindentes aera branchis.
Non uolucrum species non est lolligo natantum,
Turmatim fertur ponto, gestitqꝫ uolare:
Inferius multo se tollit mitis hirundo.
At radunt summam milui lati æquoris undam:
Hos nanti similes dices, similesqꝫ uolanti.

Pisci-

Piſcibus hi cœtus: hæ ſunt in piſcibus urbes.
Inter ſquamigeros populos, errantia ponti
Agmina nonnulli collecti examine multo
Armento & caſtris ſimiles: pars iſta uidetur
Aequalis turmis, iſtos cognoſcere poſſes
Inſidijs, decadiq́ꝫ pares: hic impete ſolus
Ducitur: aſt illi labuntur per freta bini.
Quidam ſe thalamis condunt, ſcopulisq́ꝫ recuruis,
Ante alias ponti gentes agitata tumeſcunt
Aequora, turbatos ſubter uoluentia fluctus:
Exhorrent nigram magno ſtridore procellam:
Formidant gelidam brumam, fluctumq́ꝫ furentem:
Accumulant circum terram, ſabuloq́ꝫ teguntur.
Multi ſe ſcopulis condunt, multiq́ꝫ profundo
Se claudunt pelago: non uaſtum fluctuat æquor
Fundo, non uenti ſurgunt, denſæq́ꝫ procellæ,
Quæ tumidos frangant fluctus: nam ſaxa profunda
Terribiles arcent uentos & marmoris æſtum.
Florida quum rident depicti tempora Veris,
Et mare pacatum tranquilla labitur unda,
Tunc paſſim ſaliunt piſces prope littora læti.
Vrbs ueluti dilecta Deis, opibusq́ꝫ ſuperba,
Letiferas belli nubes obſeſſa refugit:
Quæ fuerat longa belli ſub mole grauata,
Et tandem longa belli obſidione ſoluta,
Continuo à duri Martis ſudore refecta,
Et ſtudio pacis gaudens conuiuia læta
Diſponit: tota celebrantur in urbe choreæ.
Sic piſces læti duros poſuere labores,
Horrida ueliferi fugientes littora ponti,
Saltanti ſimiles ludunt in fluctibus alti.
Vere nouo duro Veneris uexantur aſilo

Decadique pares pro numero decē militum ponitur In græco exemplari legitur δεκάδεσσι numero plurali. Sunt autem decades, qui ex ordine conſiſtunt decem militum. Eſychius,

Pisces, qui terra repunt, quiq; aera magnum
Findunt: atq; salo longe spaciatur aperto.
Vere laborantes sedat Lucina natantum
Partus: quum foetus tumido de uentre resoluunt.
Hi generis curam capiunt: sed foemina partus,
Et tenuem uentrem fulua contundit harena,
Anxia non paruo se iungens oua labore:
Sunt connexa simul, tumido sunt uentre ligata
Mixtim: quo pacto coniuncta hæc ædere posset:
Et simul innatum posset dissoluere nodum:
Tormento pressæ secernunt littore foetus.
Difficilem partum concedunt fata marinis
Piscibus, haud solum tantum Lucina dolorem
Mortali præbet generi: nec foemina tantum
Lucinæ durum sola est passura laborem.
Hoc passim commune malum Lucina parauit
Illis, qui terra sicca pontoq; feruntur.
Namq; mares alij pascentes litora iuxta
Dum ueniunt, clades adducunt piscibus atras.
Foemineis alij turbis per litora pulsi
Præcurrunt, illæ Veneris cruciantur a silo,
Atq; mares urgent cursu, reptantiq; prementes.
Hi serpunt, uentremq; fricant, & spermata mittunt:
Illæ actæ stimulis rapiunt, atq; ore rapaci
Absorbent: tanto Veneris rapiuntur amore:
Spermate sic implent uentrem, sobolemq; propagant.
Hic mos est multis, alij connubia, lectos,
Vxorem, thalamum curuum, tædamq; iugalem
Coniuncti accipiunt: uexat Cytherea natantes,
Et furor & zelus, durus deus, atq; cupido
Feruens: qui calidos accendit corde furores.
Horrida pro charo faciunt certamina lecto

Sæ-

Sæpe proci, tales magno conamine pugnant:
Collecti circa nympham discrimine multo,
Diuitijs, splendore pares, non piscibus ista
Adsunt, sed uires, & uallum dentibus arctum:
His armis tædas quærunt: hoc robore fidunt.
Sic feret optatas illis uictoria tædas.
Vxores sargi multas & merulus ardens
Ducunt: ast alij contenti coniuge sola
Cantharus, ætnæus spernentes agmina lecti.
Non similem tædæ finem testudo recurua.
Polypus atq; anguilla manet, murenaq; nigra.
Anguillæ spiris multoq; uolumine nexæ
Concumbunt: lentor distillat corpore toto:
Qui spumæ similis bibula cælatur harena.
Accipit hunc cœnum: quid enim fœcundius illo?
Concipit accepto: nascuntur lubrica turba:
Flexibus innumeris anguillæ in littore repunt.
Sic coeunt congri, sic lubrica membra resoluunt.
Odit concubitus testudo, inimica refugit
Tædas: non illam Veneris compellit oestrum:
Non gaudet lecto, ueluti gens humida ponti.
Nam coitu tantos patitur testudo dolores.
Ossea uena mari multo distenta furore
Arrigit in Veneris usum, quam flectere nunquam
Est potis, hanc acuit despecti in gaudia lecti.
Inflexis pugnant rostris & prælia miscent:
Inq; uicem morsus figunt, & cominus ore
Congressi certant, geritur lachrymabile bellum.
Hæc tristes uitat tædas, hunc pellit oestrum,
Et rapit inuitam pugnando robore multo,
Donec deuictam cupido sibi iungat amore.
Ac ueluti longi cupientes præmia belli

Cœnum, hoc est, limus is arenosus hunc, id est, lentorem illum, sic enim in græco legitur exemplari, ἡ δὲ μινιλὺς δεξαμένη κυέοι τε καὶ ἐγχελύων τέκεν ὁλκοὺς

Diuisis syllabis legendum oestrũ & ponitur hic pro stimulo.

Pugnant,& pulchram rapiunt in marte puellam.
Sic coeunt tellure canes, sic æquore phocæ:
Namq; diu duro remanent in uincula nodo.
Ambos arcta Venus iunctos post terga reuincit.
Exitium & tristes tedas commiscet in unum
Polypus, & miseram uitam cum spermate fundit:
Non coitu cessat donec deliquerit artus
Robur, & absumptæ fuerint in corpore uires:
Atq; ipse in fulua iaceat prostratus harena:
Seminecem sicca lacerant tellure iacentem
Carcinades miseræ, & cancri, multiq; natantes:
Quos omnes cupide primo ferus ille uorabat.
Tunc uiuum imbellem minime sua membra tuentem
Discerpunt: donec moriatur funere diro.
Sic perit in coitu piscis, sic lumina claudit.
At ratione pari torquetur fœmina partu:
Extremumq; diem claudit, fœtumq; resoluit.
Non oua (ut pisces alij) semota recluso
Ventre ædit, magno partus cruciata dolore
Iuncta racematim gignit: quæ uulsa meatus
Forte per angustos ueniunt, perimuntq; parentem.
Non annum excedunt, tedis moriuntur in ipsis:
Cum tristi ueniunt crudelia funera partu.
Quæ murena facit, non fama obscura feruntur:
Serpenti nubit, prompteq; ex æquore saltat
In littus, petit à cupido cupidos hymenæos.
Ardet amans serpens, & multo exæstuat igne.
Concitus in rabiem furibundus quærit amores:
Et curuum subito saxum speculatur: & omne
Letiferum ponit uirus, quod gestat in atris
Dentibus, & bilem saxo deponit amaram.
Vt tedas capiat tranquillo pectore mites:

Anastrophe hic est, ordo itaque talis, uincula diu remanent in duro nodo.

Litto-

Littore consistens horrendum sibilat ore:
Concubitusq; petit, subito murena profundo
Excita uoce furens, ruit ocyor illa sagitta.
Ex terra serpens ponti descendit in æstum:
In Venerem prompti gaudent complexibus ambo:
Serpentis caput ore tenens flat sponsa proterui.
Sic ambo tedis læti, murena profundum
Desilit in pelagus, serpens per littora reptans
Omissum repetit uirus, quod dentibus atris
Fuderat, at bilem nigram si forte uiator
Iecerit in pontum, iactat per littora corpus,
Et non sperata clauduntur lumina morte.
Priuatus serpens armis, quibus ipse putabat
Se fortem, & tanto serpentis nomine dignum,
Et uitam & tetrum perdit prope saxa uenenum.
In faciem uersi dulces celebrant hymenæos
Delphines, similes hominis complexibus hærent.
Humano tentus se tollit more priapus:
Atq; palam semper non est, latet inguine tectus.
Exertus mucro Veneris nudatur in usus.
Sic coeunt pisces, sic sunt connubia curæ.
Admissura tori non illis tempore certo.
Nam gignunt fœtus multi sub tempore brumæ,
Isti uere nouo pariunt, hi sole calente,
Hi uero autumno, quum iam perfecerit orbem,
Hic solum partum, totus dum uoluitur annus.
At bis Lucinam labrax toto inuocat anno.
Quatuor at partus horrendus scorpius ædit.
Accipiunt triglæ terno cognõmina partu.
In pelago fœtus quinos ædit cyprinus.
Nunquàm fœcundi deprehensus partus aselli.
Cumq; ex ouiperis pariuntur tempore uerno
Pi-

Pisces, ωοτοcos quos graio nomine dicunt,
Hi proprias habitant sedes, lustrisq; quieti
Degunt, hi ueniunt collecti, examine multo
Euxinos penetrant fluctus, ubi maxima turba
Dilectos ædunt fœtus, longe sinus ille
Dulcior est alijs pelagi, nam flumina multa
Euxinum irrumpunt pontum: sunt pascua læta:
Sunt curui scopuli pelago, portusq; reducti:
Sunt duræ cautes ponto, multiq; recessus,
Vmbrosæ celsis surgunt à montibus umbræ,
Litora tuta manent uento, sæuaq; procella.
Noxia non ponto monstra educantur in isto,
Et parui pisces non quicquam hostile timentes
Securi uiuunt undis, procul astacus ingens:
Polypodes desunt magni, desuntq; paguri:
Adsunt delphines pauci, qui corpore uasto
Contempti imbelles hæc pascua læta frequentant,
Hinc est, q; quærunt hæc æquora grata natantes,
Dispersi pelago toto coguntur in unum:
Atq; cateruatim collecti examine multo
Huc omnes properant, pontum ducuntur in istum
Threicias ponti fauces (qua bosphorus amplum
Ducit in Euxinum) sulcantes agmine denso,
Bebrycios fluctus, & ponti angusta natando
Ora secant strepitu multo, tranantq; meatus.
Et uelut æthiopum ueniunt, niliq; fluentis
Turmatim Palamedis aues, celsæq; per altum
Aera labentes fugiunt Atlanta niuosum:
Pygmæos imbelle genus, paruumq; fatigant.
Non perturbato procedunt ordine densæ
Instructis uolucres obscurant aera turmis.
Sic pelagi innumeri populi longo ordine findunt

Euxi-

Educantur, secundam huius syllabam contra naturam produxit, in græco exemplari legitur, ἐντρέφεται, nisi uelis legere, educuntur, quod idem nonnunquam significat.

Per Palamedis aues grues significat, quas græce expressit Oppia. cum dixit, ὑψιπέτης γεράνων χορός.

Euxinum pontum, turbantur in æquore fluctus,
Spumant uibratis canentia marmora branchis:
Absoluant donec cursum, fœtumq; natantes.
Perfecto autumno pisces sub mente regressum
Voluunt: nam bruma uentis agitata tumescunt
Aequora: multisoni consurgunt marmoris æstus:
Atq; sinus ponti se tollunt uertice multo.
Non alti fluctus extant, non saxa profunda,
Spirantes crebra furiunt uertigine uenti.
Hinc est, quod fugiunt pisces mæotide fusa:
Et retro flexi pelagi per terga feruntur,
Sparsi per fluctus ad pabula prisca meantes.
Ad molles pisces, qui feruent sanguine nullo,
Qui non ossa tenent, & qui sua tergora crustis
Armant & squamis, hi fœtibus oua resoluunt.
At canis atq; aquilæ, & quæcunq; selachia dicunt:
Et delphin ponti princeps, uitulíq; marini,
Hi pariunt fœtus, fœtus æquare parenti
Posses, optatæ cernunt quum tempora lucis.
Qui fœtus ædunt, miro sectantur amore
Natos, & læti stant circum pignora chara.
Non ego delphinis solertius esse creatum
Quicquam crediderim, liceat si uera referre:
Hi fuerant homines, atq; oppida celsa colebant
Inter mortales, diuino numine Bacchi
Delphini in formam uersi saliere per æquor.
Nunc etiam humanam seruant sub pectore mentem:
Ingenio celeres factis humana sequuntur
Consilia, in lucem ueniunt quum pignora chara:
Atq; parens dulces partu est enixa gemellos:
Extemplo fœtus subeunt genitricis in ora
Nantes, & saliunt læti, noscuntq; parentem.

sub mente, id est, in mente. κατα χρηστικῶς.

Selachia chartilaginea, pro piscibus posuit qui squamas non habent.

Circundat charos partus, est læta gemellis
Officiosa parens, natis plena ubera præbet:
Et præbet geminis natis gemina ubera mater.
Sugere lac gratum postquam Deus ubera bina
Et lac dulce dedit: tales fecisse putamus
Humanas mammas talem tribuisse liquorem:
Educat catulos paruos blandissima mater:
Fortia quum crescunt iuuenili membra uigore:
Venandi studio exercet, ducitq; per æquor:
Antea non matrem linquunt, quàm fortia membra
Adsint, & firmæ robusto in corpore uires.
Sed matris semper seruant uestigia longe.
Arripiet lætam mentem miranda uoluptas.
Si mare tranquillum cernas, auramq; secundam:
Delphinum aspicies turmas decus æquoris ingens.
Præcedunt nati, ueluti iuuenile choreas
Agmen agunt, uarijs flectentes brachia gyris.
Longæui ueniunt subito post terga parentes:
Obseruant teneros carpentes pascua natos.
Non sic uere nouo pastor teneros agit agnos.
Grammaticæ ueluti ludo cirrata iuuentus
Collecti ueniunt: rigidi sunt pone magistri:
Censores morum, seruatoresq; pudoris:
Atq; ætate graues: semper ueneranda senectus
Reddit honoratos homines uirtute decoros.
Sic dulcis nati seruant uestigia patres:
Neu teneri diro fœtu rapiantur ab hoste.
Et curam sobolis phocæ non forte minorem
Suscipiunt: illis mammæ, lactisq; liquores
Adsunt: cœruleo non ædunt pignora ponto:
Sed fœtus sicca genitrix tellure resoluit.
Soles bis senos in flaua mater harena

Educat, & hic mediam quoque syllabam produxit, nisi legas Educit pro Educat.

Degit cum natis charis, & pignora mulcet.
Tertia post decimam roseo caput obsita peplo
Consurgens aurora polo, lucemq́ue reducit:
Tunc mater madidis catulos complexa sub ulnis
Detinet: & liquidas subito se mergit in undas:
Et natis iocunda suis monstrare uidetur
In ponto patriam charam, dulcesq́ue penates.
Et ueluti mater peregrina enixa decorum
In terra natum, tensis complectitur ulnis,
Lætitiam immensam effundit: patriamq́ue domumq́ue
Ostendit puero: quamuis non singula norit.
Attentus spectat miranda palatia natus,
Perlustrans oculis tectum, moresq́ue parentum.
Sic proprios catulos deportat phoca sub æquor:
Atq́ue situs pelagi monstrat, lymphæq́ue meatus.
O superi nobis non solum pignora chara
Sunt dilecta magis uita: genus omne ferarum,
Et pictæ uolucres, & monstra horrenda natantum
Immenso paruos fœtus sectantur amore:
Dulcis natorum cunctis innata cupido:
Erumnas perferre uolunt, durosq́ue labores:
Pro natis etiam non funera dira recusant.
Olim uenator uidit de uertice montis
Horrida pro catulis miscentem bella leonem.
Spicula contemnit frendens, missosq́ue molares:
Inuictas seruat uires, & pectora firma:
Confossus multis telis & uulnere multo
Præposuit clara pugnando occumbere morte:
Quàm dare terga fugæ, uel turpi cedere pugna.
Seminecem proprij non tangit cura doloris:
Infœlix dira non tantum morte mouetur
Quantum, neu catulos rapiat uenator ab antro.

Forte cubile canis ſpectauit paſtor amicus:
Atq; canem tetigit notam, metuitq; furentem.
Multa timens natis latratu guttura mater
Pandit: non aliquem noſcit furibunda pudorem.
Mater terribilis cunctis, qui fœtibus hærent.
Arrepta uitula genitrix triſtatur, & atros
Ingeminat luctus: paſſim furiata per agros
Fœmineos fundit fletus clamore tremendo.
Paſtor percul ſus ſentit ſub corde dolorem.
Et matutinus luctus peruenit ad aures
Humanas, mœſto quem fundit pectore Progne
Pro charo fœtu: quanto philomela dolore
Emittit mœſtas tenui de gutture uoces.
In quales luctus mitis prorumpit hirundo:
Si nido abſtulerint homines, ſæuiq; dracones
Filiolos dulces & pignora chara parenti.
Pro catulis forti pugnat certamine delphin.
Sic alij teneros fœtus, ſobolemq; tuentur.
Et canis æquoreus fœtus (mirabile dictu)
Cuſtodit: catuli teneri poſt terga ſequuntur.
Fœtibus eſt ſcutum genitrix, illoſq; tuetur.
Sed quum formidant (pelago ſunt multa timenda)
Accipit in uentrem natos, iterumq; recurrunt:
Vnde prius lapſi fuerant: & uentre teguntur.
Et quamuis partus fuerit cruciata dolore,
Vt mater, læto perpeſſa eſt omnia uultu:
Atq; iterum charos fœtus in uiſcera condit.
Atq; parit rurſus: quum reſpirare timore
Cœperit, & tutas ſpeculetur marmoris undas.
Obſeruant ſquatinæ natos, nec uentre recondunt,
(Vt canibus mos eſt) ſed pandunt ſubter hiatus
In madidis alis, quantos aperire natantes

Pro charo fœtu. Ityn hunc tradũt dictum eſſe, fabulam hanc Ouidi. 7, Metamor. longe deſcribit ſimul & eleganter. Per progne hic hirundinem accipimus

Ore ſolent rictus, ſic uetus alta uorago
Sorbet, & in tanta natos formidine ſeruat.
Aſt alij piſces metuentia pignora peſtem
Ore tenent, ueluti luſtris aut tecta cubili.
Vt piſces inter glaucus ſic præſtat amore
In natos illis, qui fœtibus oua reſoluunt.
Oua fouet, donec maturo tempore fœtus
Exiliant, iuxtaq; natat, prolemq; timentem
Ore tegit, tantum quod cedit pectore paruo
Formido, & rurſus natos mater ſpuit ore.
Aſt diro thynno non eſt ſceleratior alter.
Et nullus piſcis tanta impietate notandus.
Namq; ſoluta parens partu, priuata dolore
Offendit quicquid, rapidam demergit in aluum.
Non paruis parcit natis ſæuiſſima mater.
Qui nec concumbunt, nec fœtus nixibus ædunt,
Per ſe naſcuntur, fœdo uelut oſtrea cœno.
Eſt non diſtincto ſemper leuis oſtrea ſexu.
Hos inter piſces nec mas, nec fœmina nota.
Aphritides imbelle genus non ſanguine natæ,
Paruula ſub nullo turba eſt generata parente:
Quum fortes imbres denſis ex nubibus haurit
Mens Iouis: extemplo miſcetur murmure pontus:
Tolluntur fluctus celeri uertigine mixti:
Qui canas faciunt ſpumas, atq; unda tumeſcit.
Ex non præuiſis collecta hæc agmina tedis
Emergunt, pelago ſubito nutrita uidentur:
Spuma naſcuntur, de ſpuma nomina ſumunt.
Naſcuntur multæ, tumido quum fluctuat æſtu
Vnda refuſa maris commota flamine uenti
Feruet, & arentem cum cœno eructat harenam.
Hæc uno congeſta loco miſcetur, & uno

ἀφρητίδες. Aphretides ſcribendum eſſet per e lõgum, ſed interpres per i breue uertit metri fortaſſis cauſſa.

Congeritur tumulo, quum strata æqualiter unda:
Lataq́ꝫ tranquillo labuntur marmora cursu:
Multiplici commixta luto, contacta calore
Materies corrupta creat: nascuntur eadem
Vermibus assimiles, qui surgunt agmine denso.
Non magis imbelles gignunt lata æquora pisces:
Qui sunt cunctorum gratissima præda natantum,
Inq́ꝫ uicem lingua canentia corpora lambunt.
Hoc tantum uiuunt, hinc illis est cibus usq́ꝫ.
Turmatim densæ percurrunt æquora turmæ,
Et curuam quærunt petram, scopulumq́ꝫ profundum.
In tanto pelagi cœtu tota albicat unda:
Et ueluti nix alta cadit, quæ sparsa parentes
Planities operit, zephyrus quum spirat eous.
Non oculis late tellus subfusca uidetur,
Sub niue tecta latens adparet candida uisu,
Area Neptuni sic canet sub grege denso.

PRIMI LIBRI DE
piscibus finis.

☞ ARGVMENTVM SECVNDI LIBRI ALIeuticon Laurentij Lippij ad magnificum uirum Laurentium Medicem.

TVrpe ueneficium sentit torpedo secundo.
Pisciculos astu capiens mala rana trucidat.
Sepia natiuos connectit caute rudentes.
Occisæ squillæ figunt perimuntqꝫ necantem
Labraca, sed cancer testas depascit hiantes.
Sæuit, & humano bos dirus sanguine gaudet.
Custodit pinnam cancer, pinnamqꝫ tuetur.
Noctua quanta gulæ sortitur damna uoracis:
Polypus insidijs, & duris astacus armis,
Et murena ferox alterno marte domantur.
Et scolopendra urit fœda prurigine corpus:
Letifero plagas infigunt iulides ore:
Et thynni & gladij diro torquentur asilo
In canis exortu: sed non impune proteruæ
Delphinum lacerant amiæ, qui regnat in undis,
Et salit in terram clausurus littore uitam:
Et iustus scarus non fœdat sanguine uentrem.

OPPIANI ALIEVTICON, ID EST, DE PISCIbus Laurentio Lippio Collensi interprete

Liber secundus.

SIc errant ponti gentes per pascua læta:
Sic proles populis, sic sunt cõnubia curę.
Quis diuũ miseris mortalibus ista reclu-
(sit?
Quid norunt homines, nisi quantum lu-
(mina possunt
Tendere? sed regnant superi, qui cuncta gubernant:
Et prope sunt, quamuis longe cœlestia templa:
Viribus & nullo mutari robore possunt
Fata deum: si quis tentet contendere contra,
Nititur inuictam frustra depellere sortem.
Et uelut asper equus luctans fremit ore superbo:
Fortiaq; a duris non liberat ora lupatis.
Magni cœlicolæ molles moderantur habenas,
Et ducunt quacunq; uelint, inuitus agetur
Et scutica & stimulis prudens compulsus acutis.
Nam superi uarias artes & munera mentis
Mortali tribuunt generi, dant omnia diui,
Diuersis præsunt, diuersaq; numina rebus:
Vt quisq; optatum meritis sortitur honorem.
Legiferæ donum Cereris coniungere tauros,
Atq; in triticeam terram proscindere messem.
Aedificare domos, & celsas condere naues,
Et niuea pulchras lana contexere uestes,
Edocuit pallas, fortis sunt munera Martis
Thoraces, galeæ, gladij, sunt tela corusca

Cætera, quæ ad belli studium conuertit Enyo.
Dant musæ, & Phœbus diuini munera cantus:
Eloquium genitus Maia, nitidamq; palæstram.
Lemnia progenies tulit ad fabrilia laudem.
Piscandi finem uasti molimina ponti
Quis superum spectare dedit? quis concaua terræ
Cinxit fluminibus multis: & circuit æquor
Littoribus curuis, & sepsit montibus altis?
Siue hunc Neptunum liceat mihi dicere, siue
Nerea iam canum, & meliorem dicere Phorcum,
Siue alium quemuis superum freta magna regentem.
Ast alij quicunq; dei cœlestia templa,
Et pontum, terrasq; tenent atq; aera magnum.
Numina tranquillo præberent mitia uultu
Induperatori, nato, populo atq; camœnis.
Non pudor, & iustum, non pax est piscibus ipsis,
Fœdus amicitiæ longe, sed bella capessunt,
Hostilesq; gerunt animos, fortissimus horum
Imbelles laniat pisces, & mergit in aluum.
Hunc armant dentes, est qui gerit ore uenenum:
Atq; alius spina fera uulnera figit acuta.
Quidam feruentis iræ mucrone teguntur,
Cui desunt uires, cui desunt spicula: magnum
Ingenium natura dedit: se fraude tuetur,
Atq; dolis magnum piscem fortemq; trucidat,
Turpe ueneficium tenero sub corpore sentit
Natura torpedo datum, propriumquoq; membris.
Hæc grauis & mollis, sunt nullæ in corpore pigro
Vires, & nimium premitur grauitate: natantem
Non credas: liquidis ita clam subrepit in undis.
At duo se tollunt distenta per ilia rami,
Qui fraudem pro robore habent, piscemq; tuentur.

Lemnia progenies. Hic fuit Vulcanus, a Lemno insula sic dictus, quod a Iunone matre ob turpitudinem in eam cœlo deiectus fuerat.

Torpedo piscis.

Quos si quis tractat: perdit per membra uigorem,
Sanguine concreto rigidos nec commouet artus.
Voluuntur subito contracto in corpore uires
Dona Deum, & proprios membris cognoscit honores.
Porrecta in flaua distendit corpus harena,
Immota exanimi similis: cui piscis inhæret
Oppressus torpore graui, somnoq; solutus.
Hæc celeri properat (quamuis tardissima) gressu,
Semineces lacerat pisces, & sæpe natantes
Offendit tactu, uires cursumq; moratur.
Perculsi torpore graui, uictiq; rigore,
Atq; fugæ immemores sunt, immemoresq; uiarum.
Hæc manet auxilio cassos, opibusq; trucidat.
Et uelut obscuris terrent simulachra figuris (Comparatio.)
In somnis homines, quatiuntur membra pauore:
Cor salit, & frustra tentant contendere cursu,
Et frustra properare fugam, nam uincula dura
Impediunt uisu pauidos, somnoq; grauatos.
Tales torpedo meditatur piscibus artes.
Est turpis uisu, mollissima corpore rana, (Rana,)
Os aperit latum, cui sunt alimenta dolosis
Artibus: in cœno putri deiecta recumbit,
Occuliturq; luto, sed parua caruncula ranæ
Albicat ex rostro, tetrum quæ spirat odorem.
Rana latet, cœno pars hæc supereminet atro.
Escam pisciculi credunt, prædamq; capessunt.
Illa trahit placido motu, piscesq; sequuntur,
Non ueriti occultam fraudem: labuntur in ora
Fallacis ranæ, & pigra merguntur in aluo.
Sic puer insidias auibus molitur opertas,
Ante fores grana aspergens, & limine in ipso
Intendit casses, Ast illas sæua cupido

Pa-

Pascendi in laqueos pellit, datur unde regressus
Nullus, & in cœnam properata morte trahuntur.
Exitij ignaros pisces sic rana maligna
Decipit, imbelles magno deglutit hiatu.
Sic tales memorant fraudes intendere uulpem:
Agmina quum uolucrum spectabit in aere densa,
In sylua prostrata iacet, porrectaque membra
Ponit humi, claudens oculos, uafra comprimit ora.
Oppressam somno credas, uel morte peremptam.
Callida sic fraudes astuto in pectore uersat.
Quum uariam tenso prospectant corpore uulpem:
Defunctam credunt uolucres, atque agmine currunt:
Proculcant pedibus uillos, luduntque iacentem.
At miseræ uolucres uulpis quum dentibus hærent:
Illa dolos, fraudes, commentaque facta recludit,
Distractasque rapit uolucres, & guttura pandit.
Callida furtiuam meditatur sepia prædam.
Nam tenues molli surgunt de uertice rami
Extenti tanquam funes, quibus ipsa natantes
Pisciculos (iactis ueluti capiuntur ab hamis)
Pendens à fulua caute deprehendit harena.
Si tumidi magno tollantur in æquore fluctus:
Hærebit scopulis proprijs deuincta flagellis:
Natiuos dura connectet caute rudentes.
Sunt squillæ exiguæ, sunt paruo in corpore uires:
Et magnum & saturum præclarum labraca uentre
Interimunt astu: properat, gestitque teneri
Labrax pisciculis, qui paruo robore possunt
Non dare terga fugæ, non æquo occurrere Marte,
Occisæ occidunt hostem, perimuntque necantem.
Quum squillæ rictu piscis sorbentur aperto:
Turmatim in medium descendit turba palatum:

Natiuos, hoc est, naturales. Rudentes, a similitudine rudentum siue funium nauticorum, quos in polypis Plinius, nūc brachia, nūc pedes & manus, nunc acetabula, nunc cirros siue crines appellat libro nono capite 29. Et Ouid. lib. 4. Metamorpho. de conchis & polypis inibi loquens, flagella uocat. Deprehensum polypus hostem Continet, ex omni demissis parte flagellis, id est. capillis, siue crinibus & cirris qui sunt instar flagellorū

Et feriunt cornu, quod fronte insurgit acuto.
Explet se præda labrax, nec uulnera curat:
Vulnera paulatim serpunt, domitantq; uoracem:
Et sola tanti cessant in morte dolores.
Se tandem sensit uicti mucrone perire
Incola bos cœni: qui uasta mole mouetur
Corporis, & latos sese diffundit in armos. Bos piscis.
Bis senis magnos cubitis porrectus in artus,
Tam uastum corpus (quis credat?) roboris expers,
Occulit imbelles dentes, non uiribus ullis
Confidit: sed fraude uiros in funera pellit.
Sæuit, & humano bos dirus sanguine gaudet.
Hinc grati pastus: hinc mollia membra palato
Grata suo, & sæuo nimium iucunda sapore.
Quumq; per extremum speculatur nare profundum
Mortalem quemquam, liquidis qui ludat in undis:
In caput elatus multa leuitate per æquor
Enatat: extensus circum, immotusq; uideri
Possit: ut æquatum librato pondere tectum.
Atq; homini ueluti tegmentum corpore præstat.
Vt muri exitium pueri meditantur: & illum
In laqueos uenter subigit: nec cernere fraudem
Permittit: nam uasa supra collapsa repente
Dant strepitum, muremq; premunt, contendere contra
Non ualet, & tantam capiti propellere molem:
Atq; puer illudit prædæ, ridetq; reuinctum:
Multa super capto monstrat solatia mure.
Sic supra mortale caput porrectus in armos
Ille sagax homicida natans: emergere lymphis
Non sinit, & liquidis hominem spirare sub undis:
Donec destituat uitam, lucemq; relinquat.
Circuit, & laniat bos sæuus lumine cassum,

Et diro rictu quem falsa cœperat arte,
Mandit: & in uentris latebras humana recondit
Viscera, pro' superi tali non digna sepulchro.

Prudentia cācri.

Si quis in æquorea cancrum prospexerit alga
Laudibus extollet: tantam mirabitur artem.
Concessa ex alto solers prudentia cancro,
Cui parta est dulcis magno sine præda labore.
Ostrea distentit testas: & claustra recludit
Portarum: pascitq; lutum, scopulisq; repanda
Gliscit aquas: paruum madida de rupe lapillum

Gliscit pro cupit posuit, nā græce legitur, καὶ ὕδατος ἰσχανίωντα, tametsi in ea significatione raro usurpetur. Chelisque recuruis, id est, unguibus, nam χηλή præter cætera etiam ungulas & ungues significat.

Obliquus tollit cancer: chelisq; recuruis
Continet: in testas lapidem demittit apertas.
Assidet: atq; epulis lætus saturatur amicis.
Non potis est nixu geminas occludere lances
Ostrea: nam latis portis seiuncta dehiscit,
Et moriens saturum cancrum lætumq; relinquit.
Sic struit insidias testis, sic subdola fraudes
Stella marina parat, sed nullo adiuta lapillo:
Nititur: & pedibus scabris disiungit hiantes
Testas, & molles carnes & uiscera pascit.
Muscosos inter scopulos cautesq; profundas
Pinna colit, duro tegitur sub tegmine testæ.

Pinna.

Nil mentis, nil laudis habet: sine robore uiuit
Expers consilij, testæ languescit in antro,
Et socium uitæ cancrum sub lance recurua
Accipit: & præda semper pascuntur eadem.
Communemq; domum, simul & communia tecta
Cancer habet: pinnam pascit, pinnamq; tuetur.
Hinc pinnæ fertur custos cognomine graio.
Quum tegetem subeunt pisces: tunc pinna doloso
Pungitur a morsu cancri, contacta dolore
Comprimit hæc testas, & prædam comperit intus:

Cum tali celebrat socio conuiuia pinna.
Inter squamigeras gentes pars callida degit:
Pars insulsa nimis: non omnibus una uoluntas.
Non omnes sanam uoluunt sub pectore mentem
Mortales: non uera tenent uestigia recti.
Stultitia excellit cunctis ferus hamerocita.
Est pecus ignauum, capitis cui uertice summo
Sunt inuersa supra radiantia lumina: rictus
Est inter medios oculos, lucesq́ profundo
Conterit in somno solidas prostratus harena,
Et solus noctu uigilat, noctuq́ mouetur:
Hinc piscis nigræ fertur cognomine noctis
Noctua, sed uentris sortitur damna uoracis:
Non modus est luxus, non est mensura ciborum:
Indomitam seruat rabiem sub uentre rapaci:
Quam saturare potest nunquàm sed crescit ædendo:
Donec cum rapido disrumpat uiscera uentre:
Inuersus tento moriatur corpore in undis:
Vel nimio pastu uita spolietur onustus.
Est tantæ signum crapulæ, uentrisq́ rapacis.
Apprendat si quis piscem, uel porrigat æscas,
Est cibus ore tenus, pastu summa ora replentur.
Non tamen est tantus ardor compressus ædendi.
Aduertat mortale genus, cognoscere uentris
Aedificat finem, luxum crapulamq́ sequuntur
Innumeri morbi: domito sunt uentre fugandæ
Mensarum illecebræ, manibus pedibusq́ reuincta
Pellenda ingluuies, æpulis mensura tenenda:
Plurima neu uarijs ponantur fercula mensis.
Et uentris mortale genus dissoluit habenas:
Per luxum rapitur præceps, ruit impete uasto.
Talia prospiciens finem fugit hamerocitæ.

Luces solidas, id est, totos dies.

Callidus in densis spinis se uoluit echinus:
Nec ratione caret: uentum, rapidamque procellam
Præsagit: & crustis lapidem sua terga grauantem
Aptat: quem facilem spinis imponit acutis:
Fluctibus ut possit firmato pondere ferri:
Neu tractus media præceps uoluatur harena.
Polypodon fraudes populos uulgantur in omnes,
Qui similem petræ magnum flectuntur in orbem
Nexibus & spiris, hominem piscemque rapacem
Sic subterfugiunt astu, uitamque tuentur:
Si paruos uideant pisces, prædamque minorem
Rursus & in piscis formam uertuntur, & arte
Perquirunt uictum, funestaque fata repellunt.
Polypodes gelida non uertunt æquora bruma,
Formidant rapidas uento impellente procellas,
Et curuis degunt antris, torpentque ueterno,
Absumuntque pedes longos, non secius ac si
Carnes non pascant proprias, quæ sæpe renatæ
Exaturant dominos, Neptunus munera donat,
Fœcundatque pedes in pabula grata natantum.
Callida sic ursos armat prudentia toruos,
Saxosumque sinum subeunt, cautemque reductam
Detenti gelidæ brumæ caligine nigra,
Et sugunt lambuntque pedes, carnesque relinquunt
Intactas, uacuo rimantur prandia uentri,
Donec iucundo laxentur tempora Vere,
Immortale odium furioso e pectore promunt,
Polypus insidijs, & duris astacus armis,
Et murena ferox inter se bella lacessunt,
Et cædem alternant, in prælia sæua ruentes
Se perimunt pisces, inter fera surgit Enyo.
Alter in alterius descendit uiscera semper.

Ex

Polypodes pro prijs carnibus uescuntur.

Comparatio ab ursis.

Ex scopulis murena ruit furibunda per undas,
Perquirens gratum uictum per littora summa
Polypoda inquirit lætum prædamq; petentem.
Ille metu pauidus spectat, metuitq; natantem
Per tumidas undas, atq; horrida bella parantem:
Nec uitare potest, nec cauta occurrere fraude.
Hostis purpureum rictum murena reuincit.
Polypus extemplo contra pugnare coactus
Vertitur: & spiris & magnis nexibus illam
Arcet: sub uario flexu, firmisq; flagellis
Nititur: ut pedicas murenæ, & uincula dura
Præpediat, sed nulla fuga est, nec lubrica membra
Elabi possunt: murena fluit uelut unda.
Nunc hostis circa collum, nunc tergora circum,
Nunc circa caudam sinuosa uolumina torquet.
Sic homines, dura exercent qui membra palestra,
Ostentantq; diu robur: de corpore sudor
Effluit assiduus: multa contenditur arte,
Atq; undæ in morem nixus luctator uterq;
Fluctuat, & contra magna ui brachia uersat.
Polypus extensos iactat nullo ordine ramos,
Et sudans uana contorquet membra palæstra.
At murena ferox rabido dat uulnera dente,
Dilaniat, partes miserum confringit in omnes.
Nam membra in uentrem partim merguntur: at illa
Ore uolutantur crudo: subiguntur acutis
Dentibus, hi laceri uiuunt sub dentibus artus,
Atq; reluctantur, mortemq; repellere tentant.
Et uelut annosus ceruus, cui cornua fronte
Sunt ramosa, petit densa uestigia sylua
Serpentis, nactusq; locum, tum naribus illum
Attrahit e lustro, figitq; in corpore dentes.

Trium piscium certamen.

Comparatio a palestritis.

Ramos, hoc est, brachia, siue flagella siue cirros.

Comparatio a ceruis.

Implicitus genibus serpens fera pectora nexu
Deuincit, collumq; tenet, semæsa uorantur
Partim membrorum, partim lacerantur acutis
Dentibus, & diri cerui laniantur in ore.
Sic miseri piscis luctantia membra mouentur.
Consilium misero, uel quid prudentia prodest?
Quid prodest lapidis proprium sumpsisse colorem:
Quid toties uitasse necem, uitasse uoraces
Sub petra pisces, si non latuere dolosæ
Murenam fraudes? sola hæc deprendere mentem,
Sola dolos potuit, uanasq; illudere fraudes,
Tunc fœdam miserata necem, & crudelia fata.
Polypus in scopulis duris laceratus inhæret:
Assidet hæc iuxta subridens, uerba mouere
In piscem credas: hæc scommata dira referre.
Te uafer occultas? nos speras fallere demens?
Experiar: num te scopuli tutentur & antra?
Aut spelunca tegat? quæ portis clausa repente
Arripiat, raptum subito te mergat hiatu?
Te retro pauidum ex antro conuellere possem.
Polypus (heu dirum) confossus uulnere multo,
Non duros scopulos, deprensaq; saxa relinquit
Implicitus ramis, dura sub caute reuinctus:
Donec sola loco restent connexa flagella.
Vrbe uelut capta, pueri, matresq; trahuntur
Captiuæ, impubem natum complexibus almæ
Matris inhærentem miles conuellere tentat
Per belli leges: natus non brachia nexa
Distrahit a collo, sed matrem comprimit ulnis.
Non luctum sedat, non brachia iuncta remittit
Chara parens: ambo nexi, uinctiq; trahuntur:
Nec nodum soluunt, nec pectora iuncta relaxant.

Defuncti lacerum corpus sic caute tenetur:
Sic hærens nunquàm laniatus saxa relinquit.
Murenam sæuam iactantem munera belli,
Iactantem cædes, & uana laude tumentem
Carabus absumit, spectans curua antra secundum:
Quæ murenā colit, subito duo spicula tendens
Hostibus ostentat uires, bellumq́ lacessit,
Pugnanti similis, qui fidit robore & arte
Militiæ: & ualidis sese bene munit in armis.
Contra sed uerbis audax cito percitus hostis:
Sic acuit murenæ animos, nec bella retardans
Prosilit ex thalamo subito murena profundo:
Et collum curuans ingenti accensa furore
Fertur: & exitium properat, nec lædere morsu
Crustas terribilis piscis ualet aspera membra.
In cassum tendit rictus: & pugnat acutis
Dentibus: hi dura ueluti de caute reiecti
Concussi fiunt hæbetes: hæc concita motu
Inflammata furit: fortem prorumpit in hostem.
Carabus erumpit, chelis (ut forcipe ferri)
Fortiter apprendit collum, totumq́ reuincit.
Effugere illa cupit, longasq́ resoluere chelas:
Non tamen eripuit sese, atq́ inimica refugit
Spicula, sed magno gemit exagitata dolore:
Obliquos flectens artus sua uulnera sentit.
Carabus exhorret telis armatus acutis:
Et spinis iaculisq́ ferit: figuntur in alto
Corpore murenæ pali, passimq́ per omnes
Mucrones penetrant artus, & uulnera densa
Efficiunt: murena perit: sed caussa ruinæ
Ipsa sibi exitium sæuum, mortemq́ parauit.

Sic agitare feras syluis, & sternere doctus
Venator populos multos prope limina cogit:
Perculsam strepitu scuticæ, motuq́ꝫ flagelli
Pantheram excipiens telo confodit: at illa
Mucronem cernens ferri turbata repente
Effundit bilem: duro uenabula ferro
Hærent: in medio penetrauit gutture telum.
Sic murena furit: sic ira accensa domatur,
Sponte ruens proprio miseranda in fata furore.
Talia in arenti faciunt certamina terra
Non longe a sylua serpens atqꝫ acer echinus
Congressi: hostiles animos sors cessit utrisqꝫ.
Serpentem spectans telis armatus echinus
Missilibus spinis totum se claudit in orbem,
Callidus, incurua seruans testudine membra.
Ore uenenato frustra dat uulnera serpens:
Terribiles scabro nec figit corpore dentes.
Tales spinoso tollunt se tergore crustæ:
Orbibus innumeris deflectens aspera terga,
Vertitur obliquus nexu, spirisqꝫ rotatus,
Flexibus irrumpit multis, & squamea terga
Serpentis penetrat: sanies distillat utrinqꝫ.
Afficiunt magno iam uulnera crebra dolore
Serpentem, & totum perscribunt spicula corpus.
Qui circumductus totus uersatur in orbem
Duris implicitus nodis, & concitus ira
Exacuit robur, uires in prælia firmas.
At densi crustis sentes & lubrica tela
Altius horrescunt in totum corpus adacta.
Confossus spinis refugit non prælia serpens.
Non euitandis telis hunc figit echinus:

Donec conficiat simul & cum corpore cæso
Concidat: atq; pari casu moriatur uterq;.
Sæpe etiam fato est prudens ereptus echinus.
Elapsus strictis uinclis, iam morte perempto
Serpente, in duris quum restant spicula crustis:
Tali murenam superat certamine uictor
Carabus: & rapido tribuit sua pabula uentri:
Et fortem & celerem duris & carabon armis
Polypus occidit: quamuis sit robore multo
Inferior: curua spectans sub caute quietum,
In dorsum irrumpit: sinnuataq; uincula nectens
Comprimit: & longis ex omni parte flagellis
Obstruit, & pedibus passis spiracula summa.
Nec spirare potest: nec missos pectore rursus
Accipere aereos flatus (à piscibus usq;
Alterno trahitur, flatuq; remittitur aer)
Carabus oppressus, liquidis nunc fluctuat undis.
Sæpe reluctatur: nunc petra illisus opaca,
Immotusq; manet: nec tanto marte duellum
Detrectat: donec longo certamine uitam
Destituat, fulua moriens procumbat harena.
Et ueluti paruus infans circum ubera charæ
Nutricis lac dulce trahit: sic polypus utre
De curuo sorbet carnes, & mergit in aluum:
Sic fur qui lucis consumit tempora somno
Iustitiam nunquàm ueritus, nocturnus oberrat:
Angustoq; latet uico, cœnaq; regressum
Excipit insidijs hominem post uina grauatum,
Ebria qui madida decantat carmina uoce:
A tergo cædens in somnum pellit acerbum
Non longe à morte, & pulchros subducit amictus.
Talia cœruleis pisces meditantur in undis.

Hi soli inter se pugnant, hostes'qȝ feruntur:
Et soli alterno pereunt certamine pisces:
Soli se perimunt crudelia bella gerentes.
Mortiferum quidam diffundunt ore uenenum,
Horrida pestifero facientes uulnera morsu.
Est infame pecus ponti scolopendra marina
Corpore terrestri similis: sed damna doloris
Hæc maiora facit: si quis modo cominus illam
Attigerit: feruet fœda prurigine corpus.
Qualem urtica facit, cognomine dicta doloris,
Piscanti infesta est: nam si deprenderit hamum:
Confestim tetrum longe spirabit odorem:
Et pellet pisces omnes, longe'qȝ fugabit
Ore uenenato, sic lædunt stigmate paruo
Iulides: has homines (qui findunt æquora uasta)
Oderunt: coguntur enim dense agmine multo:
Si uideant homines rimantes saxa profunda,
Et studio celeres sulcantes æquoris undas:
Erumpunt curuis petris examine multo,
Atqȝ cateruatim fusæ per membra natantis
Circundant acri morsu, uel dente laborant.
Hic morsu, & rapidis gemit exagitatus ab undis,
Atqȝ manu & pedibus madidas arcere cateruas
Nititur, hæ firmæ circum, immotæ'qȝ sequuntur.
Sunt similes muscis, quæ autumni tempore primo
Messores fessos circundant agmine denso.
Hi radijs Phœbi domiti, magno'qȝ labore
Sudant: mordaces addunt sua stigmata muscæ.
Non cessant, donec satientur sanguine rubro:
Saguinis humani tanta est innata cupido.
Obuia non tenui lædit nos sepia morsu.
Nec nos pestifero confodit polypus ore.

doloris, hoc est, pruritus siue prurigini, unde & nomen urticæ inditum est uidelicet ab urendo, quod igneo quasi pruritu atque dolore tangentē afficiat. Quemadmodum & apud Græcos tam herba quã piscis κνίδη appellatur ἀπὸ τοῦ κνίζειν, quod uerbum cũ dolore pungi uexarique significat. Itaque & ipse Opp. de ea dixit. τὼ κνίδα κικλήσκουσιν ἐπωνυμίην ὀδυνάων.

Noxia labuntur ſtrigmenta è corpore toto.
Horrendus curuo qui gaudet ſcorpius antro,
Gobius in fulua nimium contentus harena,
Et canis atq; draco, uolucriſq; per æquora hirundo,
Hi duris pugnant ſtimulis, funduntq; uenenum.
Trygoniq; & gladio ſuperi fortiſſima dona,
Aptarunt membris, atq; arma horrenda dederunt,
Firmarunt mento iaculum mucrone coruſco
Erectum, tenſum, duraq; in cote politum:
Ferrea non ſolum ſuperare adamantina poſſet
Spicula: duricie tanta ſe tollit ab ore.
Hoc poſſet duram quemuis confringere cautem:
Tantus ineſt horror: conſurgit acumine tantus
Impetus. & uires tantas in uulnere mittit.
Naſcitur extrema cauda penetrabile telum
Trygoni: ſunt telo uires, tetrumq; uenenum:
Non uiuum quicquam, nõ quicquam morte peremptũ
Trygones gladijq; uorant, ni ſpicula figant
Antea purpureo, lanientq; cadauera telo.
Quum gladij gelidos diſſoluit ſpiritus artus:
Corruptus ſubito languet fortiſſimus enſis:
Cum domino pereunt uires, telumq; relinquunt.
Nil tam peſtiferum, ſæuo nil uulnere maius:
Trygonis: quæcunq; uiri mauortia tela
Sunt fabrefacta manu, uel dura incude polita
Spicula quæ à Perſis nigro ſunt tincta ueneno,
Nec tales faciunt plagas, nec uulnera tanta.
Trygonis uiuæ quantum eſt horrenda ſagitta,
Eſt nobis audire timor, uel dicere uerſu.
Indomitas ſeruat uires Trygone perempta,
Inuictumq; tenet robur: non corpora ſolum
Mortalis capit iſta lues, ſed ſaxa perædit:

Trygoni. Hic huius nominis in obliquis caſibus mediam breuiat, & recte quidem, nam Τρυγων in obliquis per o micron ſcribitur. Alias tamen ubique fere mediam producit contra ſyllabæ naturã.

ſeruat, ſubaudi ſpiculum Trygoniam peremptæ.

Et

Et uirides lædit ramos: si cominus illos
Attigerit, pereunt plantæ, ramiq́ue uirentes:
Germina uere nouo contacta labe necantur:
Arboreiq́ue cadunt autumni tempore fœtus:
Si radix sæuo fuerit mucrone notata.
At primo uirides labuntur stipite frondes:
Siccatur truncus, fluit, & uelut ægra labascit
Arbor: corrupti languent cum robore rami.
In iaculo mater donauit Dædala Circe
Telegono nato telum, ut prosterneret hostes.
Hic Ithacæ appulsus magni genitoris abegit
Armenta, & clarum belli uirtute parentem
Letifero incautus misit mucrone sub orcum
(Hunc quærens Ithacæ lustrabat pascua læta)
Emensum terras, & mille pericula ponti,
Et passum duros longo sub Marte labores,
Et multa expertum Trygon mactauit Vlixem,
Atque ducem solo prostrauit uulnere tantum.
Dum canis ardenti turbatur sydere cœlum:
Et thynni & gladij diro uexantur asilo:
Qui fixus madidis illos contundit in alis,
Non arcere queunt, non hanc propellere pestem,
Incutit hæc celeres uires, stimulosque feroces
Concitat: armantur rabie, furiuntque dolore:
Inuitosque agitat pestis furibunda natantes:
Exhorret uulnus, bacchantur in æquore lato.
Hi torti stimulis incursant nauibus altis:
Et sæpe in terram saliunt e gurgite uasto,
In tanto uoluunt luctantia membra dolore,
Et uitam in tanto mutant cum morte furore.
Quinetiam fortes tauros infestat asilus,
Ilibus & lateri medio quum fixus inhæret.

Magni genitoris Vlissem intelligit quem scilicet magnum appellat a rebus gestis, & qui consilio atque prudẽtia plurimum ualuit.

Nec

Curant, subaudi, tauri.

Nec iam pastores curant, nec pascua læta,
Et uirides herbas, stabulum atq; armenta relinquunt
Confossi furiunt rabie: non flumina possunt,
Non mare, non ualles, præruptaq; saxa tenere:
Mugitu complent syluas, stimuloq; coacti
Exiliunt, flectuntq; pedes horrore minaci.
Pisces atq; boues angit furibunda procella.
Delpini regnant ponto, gentesq; natantum
Imperio sceptrisq; regunt: sunt robore clari,
Et forma, & uolucri nimium se corpore iactant:
Et saliunt: ueluti neruis excussa sagitta,
Ardentem emittunt flammam splendore micantem
Ex oculis, tenuem uisu, si forte timentes
Aspiciant lustris pisces, sabuloq; latentes.
Est inter pictas quantum regina uolucres
Magna tonantis auis, uel quantum dira ferarum
Agmina magnanimi ducunt uirtute leones,
Squamigeri quantum regnant, præstantq; dracones
Inter serpentes, tantum sua regna ministrant
Delphines, liquidis tantum dominantur in undis,
Imperio madidas gaudent frenare phalanges.
Non iuxta accedunt pisces, non lumina flectunt,
Formidant tumidos reges per marmora euntes.
Qui longe afflatu multo, saltuq; feruntur.
Et strepitu horrisono ueniunt ad pabula nantes,
Collectas turbant acies, pontoq; repellunt,
Exagitant armenta maris, pontiq; meatus
Concutiunt omnes, magna formidine complent,
Piscibus implentur pontus, pontiq; recessus.
Vescuntur læti reges, lectisq; replentur
Piscibus, undisoni saliunt multa agmina ponti.
Delphini (quanquam tales sunt piscibus) hostes

Pictas, a uarietate colorum, sic & Vergil. in tertio Geor. pecudes, pictæque uolucres, Has ipse Op. leues dixit a plumarum quibus uestiuntur, & per sublime feruntur natura epitheto sumpto, ὅσσον γὰρ κούφοις μετ' οἰωνοῖσιν ἄνακτες αἰετοὶ &c.

In-

Inueniunt diros, amias quos nomine dicunt:
Intrepidæ solæ pugnant, contraq; feruntur
Robore peiores thynnis, in corpore molles
Carnes: continuo densi sunt ordine dentes,
In quibus horror inest, hinc est audacia tanta:
Hinc fortem ponti regem formidine nulla
A rege seiunctum aspiciunt, solumq; uagantem:
Atq; cateruatim ueniunt ad martia bella,
Et ueluti collectæ acies, multæq; cateruæ
Bellantum ad pugnam ueniunt, Martemq; lacessunt,
Hostilem expugnant turrem, ui mœnia quassant.
At delpin magnis rostris hæc agmina primum
Contemnens, sed post rapidus consurgit in illam.
Arripit hanc: auido dat fortia pabula uentri.
Quum densæ magnum circum delphina phalanges,
Et magnus cuneus fortem delphina coronat:
Tunc agitat mentem belli furor, & timet unus
Exitium à multis, & duro Marte laborat.
Hæ rabie circumfusæ per membra reuinctæ
Delphino infigunt dentes, & corpora passim
Scindunt implicitæ, sunt multæ à uertice summo,
Quæ lacerant, glauco rostro, madidisq; sub alis
Nonnullæ infixæ, lateri pars illa recumbit,
Apprendunt aliæ caudam, uentremq; tumentem
Pars cruciat: quædam populantur maxima terga:
Istæ per spinas, illæ per cœrula colla
Pendent: hic magno contorquens membra labore,
Conturbat metu pontum, sunt corda furore
Concussa, & tristes uoluit sub pectore curas:
Et salit, atq; furit uictus, pressusq; dolore,
Et nanti similis, fundo nunc uoluitur imo:
Nunc summo fertur fluctu, cum turbine multo

Quamuis delphini sunt tam formidabiles ipsis piscibus, tamen inueniunt hostes diros, quos amias uocant.

Concutitur, ſaltat, nodumq́ʒ reuellere tentat.
Hæ nexu immotæ perſtant: nec uiribus ullis
Conuelli poſſunt: fluctu merguntur in imo,
Et cum delphino ſummas iaciuntur in undas.
Sic nexæ ſubeunt undas, ſummumq́ʒ per æquor
Emergunt: ponto dicas noua monſtra creari
Neptuno, duri ſunt fixi in corpore dentes.
Sic amiæ & delphin uinclo nectuntur eodem.
Et ueluti expertus tumido de uulnere multum
Sanguinis exhaurit medicus: qui uulnera curat,
Lubrica languenti firmatur corpore hirudo:
Quæ quondam nigra fuerat generata palude:
Letiferum ſorbet totum tumefacta cruorem.
Curuatur, ſaniemq́ʒ trahit: nec deſerit unquàm,
Emungat donec letalem è uulnere labem.
Sponte cadat: poſſit cunctis temulenta uideri.
Sic amiæ nunquàm tollunt è corpore dentes,
Ni partem apprenſam ſubigant, lanientq́ʒ ſub ore.
Poſtquàm collectus delphin, bellumq́ʒ diremptum:
Tum ducis irati rabiem, ſæuumq́ʒ furorem
Spectantes amiæ, tunc horrida fata timentes
Effugiunt: ſequitur delphin laceratq́ʒ teritq́ʒ:
Stridenti ſimilis preſteri cuncta reſoluit:
Et morſu laniat, rubet atro ſanguine pontus.
Et ueluti in ſylua ceruum exagitare luporum
Agmina commemorant: collecti qui grege denſo
Oppugnant timidum ceruum, rictumq́ʒ ruentes
Diripiunt teneras carnes: at cæde recentes
Dentibus abſumunt diris: calidumq́ʒ cruorem
Abſorbent: ceruus conſperſus ſanguine multo
Mortiferis ululat plagis: & uertice celſo
Montis concutitur: ſectatur turba luporum

Dilaniant: uiuum ceruum sub dentibus atris:
Et truncant nares, & rictus sanguine fœdant,
Antea quàm ceruus peragat sua fata: dolentis
Absumunt carnes, & adhuc de cæde rigentes
Inuerecunda lupi non pendunt agmina pœnas:
Quod ceruum rident crudeli morte cadentem.
Audaces amiæ pœnas pro cæde dederunt.
Sum miratus opus clarum, quod uenit ad aures.
Delphines morbum quum iuxta accedere sæuum,
Et prope letalem cernunt impendere lucem:
Extremum usq; diem miseræ fata ultima uitæ,
Norunt, & pontum uastum, scopulosq; relinquunt:
Et terræ appellunt clausuri in littore uitam:
Vnus ut'e multis surgat mortalibus, atq;
Neptuno sacrum cernens delphina iacentem
Condat humo, ueteris conseruet pignus amoris:
Vel pontus fuluis undans obducat harenis:
Defunctum ponti regem neu turba natantum
Aspiciant, hostes defuncta cadauera lædant.
Aeternum fulgens uiuit post funera uirtus:
Non decus egregium, non uires labe notantur:
Post mortem clarum uiuit per sæcula nomen.
In pelagi populis, norit qui pascua solum
Ingenio mirem cephalum, iustumq; uocabit.
Non genus externum lædit, propriasq; cateruas,
Non mandit carnes, non potum sanguine sedat.
Est genus intactum, non cædis labe cruentum,
Eiectamq; salo cum cœno pascitur algam.
Hinc inter pisces illi reuerentia magna,
Nec lædunt cephali fœtus, ut cætera ponti
Agmina, nituntur dentes cohibere feroces.
Sic inter pisces cephalus ueneratur honore

Iustitiæ, quocunq; loco sua præmia seruat
Astræa, alternas meditantur in æquore fraudes
Turbæ aliæ ponti, nec soluunt lumina somno,
Sed uigilant pisces semper uirtute minores
Maiores perdunt, & pabula grata reportant.
Vt memorant, scarus rapitur non tempore noctis
In prædam, curuis nocturnus dormit in antris.
Quid mirum ex tumidis undis si Astræa fugata est?

Dearum, Astræã dicit, quam Op. πρέσβειραν θεάων appellat, hoc est προτιμητὴν id est, maxime inter deas honorabilem, imo omnibus præferendã tanquam illarũ ducem.

Inter mortales non est ueneranda dearum
Iam uersata diu, strepitus magnicq; tumultus
Mars ferus, & sæui belli discordia nutrix
Humanum tenuere genus, non turba ferarum
Vrbibus a celsis penitus seiuncta, leones
Munitas turres, & cincta palatia muris,
Atq; altas ædes superum fragantia templa
Humano nimium sparserunt sanguine diri,
Impleruntunda fumi & fuligine nigra,
Romanos donec miseratus Iupiter, & uos
Aeneadas terræ dominos gentemq; potentem
Constituit, totumq; dedit sub legibus orbem.
Ausoniæ antiquos reges in bella uocauit
Mars ferus, & contra fortes armauit Hiberos,
Et Libyem, & Celtas, quid Rheni grandia gesta,
Quid fortes Histros in martia bella ruentes,
Quid memorem Euphratem? terras Astræa nitentes
Nunc colis, & placidas nutris cum gentibus urbes,
Ex quo magnanimus genitor, natusq; superbus
Imperium terræ celsa de sede ministrant.
Nascitur ex istis mos & doctrina regendi.
Hos seruate Dei multis uoluentibus annis
Iupiter & superi, pietati si qua futura
Præmia, fœlices sceptro donabitis annos.

☞ ARGVMENTVM TERTII LIBRI OPPIANI per Laurentium Lippium Collensem, ad Laurentium Medicem.

Tertius in pisces hamos & retia iactat.
Obseruare docet tempus uentosq; secundos,
Et uolucri saltu cephalus fugit humida lina.
Mormylus, & labrax laqueos declinat harena.
Effugiunt hamos disrupto uulnere multi,
Piscantis manibus linquit torpedo rigorem.
Sepia sub nigro fugit occultata liquore.
Inter se laniant pisces, sunt piscibus æsca.
Anthieon gentes uenter compellit in hamos.
Cantharus in nassam socios subigitq; cietq;.
Dumq; parant aliis pestem labuntur in ipsam
Admoes, chalcis mirrha capietur odora.
Ast algis salpæ, sed triglæ sorde trahuntur.
Turbato rapitur ponto melanurus in hamos.
Terribiles gladij falluntur imagine falsa.
Sponte subit laqueos scombrus, longæq; belonæ.
Et Celtæ & Siculi thynnos piscantur Hiberi.

OPPIANI ALIEVTICON, ID EST, DE PISCIBVS,

Laurentio Lippio Collensi interprete

Liber tertius.

PVgnas & uarias piscandi dicimus artes,
Et studium, fraudesq; maris, nunc maxime (princeps
Carminibus aduerte meis, & nostra camoe(na
Te capiat, ponti sub te sunt sceptra profundi,
Sub te Neptuni gentes, pontiq; meatus.
Inter mortales rerum moderaris habenas.
Mercurij ex adyto Cilicis iussere camoenae,
Vt uos detineam blanda dulcedine cantus.
O nostrae patriae numen Cyllenia proles,
Optime natorum clari Iouis Aegide, cantus
Aspira, atq; uafras hominum Deus erige mentes.
Piscantum primus meditor contexere fraudes.
Piscibus exitium uarijs hoc carmine pando.
Pan tua progenies per te diuina parauit
Consilia, hunc memorant magnum eripuisse tonantẽ,
Typhonem perhibent astu mactasse ferocem,
Deceptum coena magno eduxisse barathro.
Emersum lati gradientem littore ponti
A Ioue fulminei missi de nubibus ignes
Combussere, caput ter circum saxa rotatum est.
Purpureo ambusti sunt sparsi sanguine crines.
O Maia generate deus tua numina placat
Piscator, sacri per te mihi gloria cantus,
Fortia sint celeri piscanti in corpore membra,
Nec sint macra nimis, nec sint abdomine tarda.

Nam

Nam fortes pisces est oppugnare necesse,
In quibus inuictum robur, dum pectore matris
Vndæ saltantes tumidum uoluuntur in æquor.
E scopulo in fluctus opus est saltare profundos,
E flucturursus celsam conscendere cautem.
Si fuerint uasti ponti subeunda pericla,
Cœruleis opus est multum durare sub undis,
Et longas tranare uias, fluctuq; sub imo,
Vt sicca in terra sæuos tolerare labores.
Est patiens mortale genus, non dura recuset
Piscator uarius cui sit prudentia multa,
Vt possit fraudes cautas, tectosq; natantum
Coniectare dolos, & quæ meditantur in undis.
Audax, impauidus, nec somno membra resoluat,
Erectam teneat mentem, nec lumina claudat,
Sit gelidæ patiens brumæ, patiensq; caloris,
Sole sub ardenti terris quum Syrius ardet.
Sit facilis ponto, nec languida membra labori
Succumbant, sic grata plagas densissima ponti
Turba incauta subit, piscanti præda futura
Fortunata, sinus retis fractura capaces.
Decipies pisces autumni tempore sole
Occiduo, & liquidis quum primum emergit ab undis,
Quum Phœbus radios terras dispergit in omnes,
In bruma madidas poteris comprendere turmas.
Vere nouo longos undis consumere soles
Piscando expedier, tunc fortunata natantum
Succedet captura tibi, tunc lina replebis,
Tunc acies ponti densæ uel littora iuxta,
Vel loca uicinis habitantes proxima terris,
In fœtum & Venerem miro pelluntur amore.
Explorandaprius lenis sunt flamina uenti,

Si

Si flatu furiant uasti maris agmina, terrent:
Et pauidi tumidis non euoluuntur in undis.
Fœlicem nobis prædam feret aura secunda:
Contra spirantes uentos gens lubrica fertur.
Hac iter ad littus facile est, fluctuq; coacta
Non dare terga retro: patitur mala littore multa.
Piscator Boream uersus trahat humida lina:
Quum Notus æolijs madidus se tollit ab antris:
Inq; notum uertat borea ueniente sagenam:
In Zephyrum uergat leuiter sufflantibus Euris:
Contra Eurum uersus Zephyrus post terga sequatur:
Sic captura tibi fœlix, pelagiq; cohortes
Innumeras capies, & retia plena reduces.
Piscandi morem sectum dixere priores
Quatuor in partes, qui gaudent ære recuruo.
Pars calamis longis setas connectit equinas,
Vt capiat pisces, pars linum uimine iunci
Contextum'e palmis iactat, pars expedit hamos
Multiplices pelagi turmis, qui retia tendunt
Nominibus uarijs designant humida lina.
Gaggamas, gripos, illas dixere sagenas,
Has dixere pezas, hypochas, curuumq; panagrum:
Sunt qui sphereones atq; amphiblestra uocantur:
Et quæ præterea per graias plurima gentes
Nomina, queis possunt hæc humida lina referre,
Et retis narrare sinus, maculosasq; dolosas.
At nassis alij capiunt: dum corpora somno
Soluuntur: dulci componunt membra quiete
Pisces, in placido dant menti gaudia somno:
Et lætum faciunt dominis sub nocte soporem.
Est labor exiguus: sed præmia magna reportant.
Nonnulli ponti defigunt monstra tridente

Facile est, subaudi, genti lubricæ, hoc est, piscibus, qui ideo gens lubrica dicuntur, quod facile e manibus tenentis elabantur. Hinc in Fastis Ouid. umbram mortui lubricam quoque dixit ob eandem caussam, Lubrica prensantes effugit umbra manus.

Ex terra aut cymbis, ut fert ſua quemq; uoluptas:
Vt cuiuſq; modum rerum ſeriemq; decentem
Cognoſcunt, tales meditantur piſcibus artes.
Piſcibus inter ſe non eſt prudentia ſolum,
Conſiliumq; ſagax, & multæ in pectore fraudes.
Decipiunt homines etiam: labuntur ab hamis,
Retibus impliciti fugiunt: linquuntq; dolorem
Piſcanti, & miro uictoria quæritur aſtu.
Non cephalus fraudis expers in retia lapſus
Deſilit, & ſummas alte deſyderat undas:
Nititur erectus ſaltu peruertere lina:
Et ſtudio properare fugam: prudentia tanta
Non piſcem fallit: poſtremos ſubere uinctos.
Euadit ſaltu funes: atq; ultima fata
Sæpe fugit, charam uitam ſub fraude tuetur.
Impete ſi primo ſummum non ſaltet in æquor:
In laqueum lapſus non uiribus amplius ullis
Confidit cephalus, multo langore repreſſus,
Expertus uires tanto diſcrimine ceſſat:
Et uelut oppreſſus morbo mœrore fatigat
Mentem: fatalem cernens impendere lucem:
Affectat potum, uitales anxius auras
Concupit: & docti medici præcepta capeſſit.
Sed quum letiferas deſperat pellere Parcas,
Contemnit uitam, moribundos deſerit artus:
Et ſtratus morti cedit languentia membra.
Sic cephalus noſcens miſeræ fata ultima uitæ:
A prædone necem expectat porrectus iniquam.
Si ſphirena ſinu retis claudatur in amplo:
Latum perquirit laqueum, quo lubrica terga
Serpentum in morem labantur retibus amplis.
At fuluam labrax alis effodit harenam:

Cephalus de genere mugilum, alias Græcis dicitur κεστρεὺς.

Comparatio ab ægroto.

Conatur foueam branchis aptare capacem
Corporis: ut magnos sub terris occulat artus:
Ac ueluti lecto iaceat, per littora gripos
Piscantes uerrunt: hic cœno immersus in alto
Effugit exitium prædæ: fugit humida lina.
Astutus talem meditatur mormylus artem:
Tentas sub bibula maculas declinat harena.
Labrax deflexo pendens confossus ab hamo,
Continuo in lymphis concusso uertice saltat:
Et setas uiolentus agens sua uulnera frangit,
Et maiora facit: funestaq; fata repellit.
Et similes astus orcynus pectore uoluit:
Continuo raptus flexo mucrone sub undas
Desilit, & tentus serpit per saxa profunda:
Piscantum'q; manu ui se conuellere tentat,
Atq; caput subito quassans sua uulnera lata
Reddit, curuatum magna ui despuit hamum.
Quum flexa tracti rapiuntur cuspide pisces,
Immanes ueluti pecudes, & segnis asellus,
Et batis, atq; boues hamum non sponte sequuntur:
Sed latum sicca distendunt corpus harena:
Collecti'q; trahunt hamum prædone dolente:
Et sæpe effugiunt diro mucrone soluti.
Ast amiæ celeres, & uulpes fraude reuinctæ
Præueniunt summas morsu confringere setas.
Hinc piscatores plumbum de cuspide nectunt,
Plumbum quod pisces cruciaret dente remoto.
Callida torpedo propria non fallitur arte:
Hæc diræ magno plagæ confecta dolore
Corpore contractat fœdo pendentia fila,
Per setas, calamum'q; (dolor) percurrit, & hæret
Tensæ piscantis dextræ, pestem'q; relinquit

No

Nominis aſſimilem, tenues cecidere relapſi
E manibus calami, tali torpore tenetur.
Quin & natiua fœcunda eſt ſepia fraude:
Eſt liquor in tumida concretus turbidus aluo:
Qui fuſcus piceam ſuperat caligine maſſam.
Conditus hic humor nutritur corpore præſens
Auxilium miſeræ, ſubita formidine capta
Atras emittit guttas, & polluit æquor,
Obſcuratq; uias ponti, tenebroſa cruore
Permixto ſanies piſcantis lumina turbans
Auertit uiſum, & proſpectum ſurripit omnem.
Hæc facili curſu per tinctas æquoris undas
Effugit horrendos piſces, hominemq; ſagacem.
Lolligo, atq; alij (qui findunt aera) piſces,
Tales inueniunt artes, non eſt liquor ater
Illis: purpureos potius de corpore fundunt
Humores: ſed fraude pares aſtuq; putantur.
Quamuis ſint tales, uigili capiuntur ab arte
Piſcantis, ponto quoties uoluuntur in alto:
Currentes rapiunt, pelagi non agmina cunctis
Sunt inſtructa dolis, cepis falluntur & hamo.
Qui madida degunt terra, qua fluctus inundat,
Hi plus mente uigent: iſtorum corpore paruos,
Imbelles, tenues penitus cum caride parua,
Theutideq; & cancro capies, longiſq; flagellis
Quin & carcinade obliqua, ſi carne perungas
Salſa piſcoſos ſcopulos, & proxima cauti.
Sic contra parui magnis ſunt piſcibus æſca.
Agmina crede mihi ſemper ſunt cæca natantum.
Et coracinus agit thynnos: & paruula charis
Labraca: ſed phagrus channi ſeducitur æſca.
Dentricem boces: hippuros fallit Iulus:

Piſcatori affert torporem.

Orphum trigla capit: seducit cirrada perce,
Auratæ mænaden: ponto murena proterua
Polypodas agitata petit: cognomine pulcher
Affectat thynnos, orcynus gaudet asellis.
Anthieon gentes capiuntur labrace sæuo,
Hippuro gladij: cephalωn iustissima turba
Decipiunt glaucum, furiunt sic monstra natantum.
Ast alijs alias cautus meditabere gentes
Fallere, maiorem poteris mulcere minore.
Inter se pisces laniāt, & pabula sumunt:
Inque uicem pastus grati, uentrisque uoluptas.
O quantum execranda fames, uentrisque barathrum:
Quo nihil est peius: mortalia pectora semper
Difficilis regina domat: non absque pauore
In nobis habitat miseris, & lumine mentis
Priuat, cum damnis affert male suada ruborem.
Serpentes, uolucres, pisces, genus omne ferarum
Ingluuies uentris domitat: mittitque sub orcum.
Anthieωn primum studioso pectore prædam
Disces: quam patriæ sequitur uafer accola nostræ,
Iuxta cantatum littus Sarpedonis alti:
Et quicunque colunt celebratam nauibus urbem
Corycium, hic Maia natus sortitur honorem.
Quicunque Amphiryten, quam marmoris abluit unda.
Hic scopuli celsi late curuantur in antra:
Quæ sunt in multas sub terris scissa cauernas:
Hic autem anthieωn stabulatur densa caterua,
Piscandi doctus liquidis speculatur in undis:
Non procul à terra scopulis obseruat ab altis
Innumeras gentes, & nauem ducit in æquor,
Et studet illisas sonitu quassare tabellas.
Hi pisces strepitu gaudent: emergit ab imo

Vnus

In mænade primam corripuit cum per diphthōgon scribatur, at illud interpreti non est nouum, ut syllabas natura longas corripiat, & cōtra breues producat.

Amphiryten, sub audi, colunt, urbem indicat undique aquis circumfluam, id quod nomen interpretatur.

Vnus,& ad ſtrepitum currens hominemq́ ratemq́
Perquirit,uaſtum piſcator promptus in æquor
Demittit percas,uel niliacos coracinos:
Hoſpitij munus tribuens,hæc prima ciborum
Pabula diſpergit:iocundas arripit æſcas
Piſcis:& aſtutam prædonis gaudia mentem
Diffundunt,prædam uoluentis mente futuram:
Ac ueluti manibus clarus uel munere mentis,
Hoſpitis egregij ſubeat palatia celſa.
Accipit hunc læto uultu dulciſſimus hoſpes:
Et primo grati dat munera pignus amoris:
Ad lautas epulas inuitat fronte ſerena,
Et læti gaudent placidis ſermonibus ambo,
Et gaudent epulis,alternaq́ pocula miſcent.
Sic lætus prædo ridet,ſubitoq́ futuram
Concipit elatus prædam:depaſcitur æſcas
Piſcis:& eſt totus præſenti munere lætus.
Hic poſtquàm ad ſcopulos per multos ſæpe regreſſus
Soles:& toties æſcas deiecit in undas.
Et non feſſus opus linquit,propriumq́ laborem.
Collecti ueniunt ueluti præcone uocati,
Ad paſtum ſemper celeres maiore caterua.
Piſcator uarias ſemper dat pluribus æſcas,
Non alias ſulcare uias,aliaſq́ cauernas
Hi cupiunt piſces,hæc circum ſaxa morantur
Ac ueluti ſtabulis brumali tempore clauſis
Læta armenta timent frigus:nec cædere longe
A ſeptis cupiunt:& paſcua cuncta relinquunt.
Hi quum proſpiciunt ſoluentem è littore nauem
Compulſam remis,erecti examine multo
Applauſu expectant æſcas,ſuper æquore ludunt:
Nutrici occurrunt flectentes lubrica terga.

Soles,id eſt, dies a cauſſa effectus intelligitur, eſt enim dies effectus ſolis,dum per noſtrum hemiſperium uoluitur, ferturque,

Hirundo. Ac ueluti zephyri mater prænuntia uerni
Implumes pascit pullos: hi gutture paruo
Strident, & saliunt nido, charamq́ parentem
Excipiunt læto plausu, matriq́ renident,
Et gratis inhiant æscis, resonantq́ penates.
Pullorum cantu gaudet concentibus hospes.
Sic dulcem læti pisces sectantur alumnum,
Occurrunt hilares uenienti examine facto,
Inq́ gyros flectunt artus, agitantq́ choreas.
Esca piscator uaria pastuq́ saginat,
Et manibus mulcens prætendit munera læta,
Et mites reddit pisces, qui iussa capessunt
Confestim regis, diro rapiuntur asylo,
Quo tendit dextram prædo, & quocunq́ recurrit,
Nunc à fronte manum tendens, ad terga reducit,
Nunc iuxta iactat littus, fallitq́ natantes.
Aspicies ueluti pueros, qui membra palestra
Nunc hac nunc illac tendunt, docilesq́ magistro
Parent, & celeres agitant ad iussa lacertos.
Quum iecit plures æscas, & maxima tantæ
Cura subit prædæ, longas pendente sinistra
Comprendit setas forti mucrone politas,
Expediens hamos, & iussu submouet omnes
Dextræ, uel lapidem paruum iaculatur in undas,
Se super immergunt pisces, lapidemq́ sequuntur,
Quem credunt æscam, & fundum uoluuntur in imum.
Piscator linquit de tot modo milibus unum
Seiunctum à turba, qui fato natus iniquo
Vltima suprema decerpsit pabula sorte.
Huic subito cautus piscator porrigit hamum
Arripit anthias fraudem, uir fortis utrisq́
E ponto manibus prædam celeremq́ uaframq́

Attrahit, & piscem cymbæ deponit in aluo.
Anthias latuere doli, si forte uiderent,
Aut strepitum audirent sublati piscis ab hamo,
Non pastum caperent, non fraudibus amplius ullis
Conuersi fugerent æscas, artemq; locumq;
Letiferum exosi, sed magno robore nixus
Attollit piscem, succedit uiribus alter.
Cui labor est tractum piscem deponere cymba.
Sic sint occultæ fraudes: saturataq; turba
Piscantes reddit saturos: est præda futura
Fortunata satis: fuerit modo certa uoluntas.
Viribus ast alij fidunt, magnisq; lacertis
Expediunt contra sese certamine magno.
Non labor assiduus illis, mucrone corusco
Aut magno ualidis contendunt robore membris.
Formatus solido ferro siue ære micanti
Hamus sub gemina limatur cuspide fortis.
Lino sint texti funes: & labraca uiuum
Mittat sub fluctus: teneat si labraca uiuum.
Si uita functus labrax, super ora grauabit
Plumbum, quod delphina ferunt. At pondere pressus
Viuenti similis labrax agitatur in undis.
Stridorem funes reddunt: concussa sub alto
Sparta fremunt: uasto saliunt ex æquore densi
Anthiæ ad strepitum funis: nauemq; sequuntur.
Impellit remos alius: piscator ab alta
Puppe iacit fortes hamos, mittitq; sub æquor:
Et flectit paruo motu: uersamq; carinam
Sectantur pisces densi, similemq; natanti
Labraca prospiciunt tractum, cursuq; laborant
Mentitam superare fugam, & conamine magno
Certatim glutire cibos, primosq; uorare.

Ira=

Iratum credas hominem concurrere in hostem.
Appetit Anthias lurco pingues araniscos.
Est si quos nactus, gratam uafer obicit æscam
Illi piscator: subito mala pabula carpit
Anthias rapidus: miræ spectacula pugnæ
Aspicies: magnas uires ostentat uterq;.
Nam fortis prædo duro sub Marte laborat:
Ille reluctatur tractus, fatumq; repellit.
Fortia sub tanta curuantur brachia mole,
Et frons atq; humeri, collum, uenæq; tumescunt.
Viribus & tanto nixu distenta fatiscunt.
At piscis multo confectus membra dolore
Prædonem uiolentus agit, ducitq; sub æquor.
Ille iubet socium remis impellere nauem.
Iam strident funes, & iam respersa cruore
Est abscissa manus, nec cessat Marte proteruo.
Non aliter quàm si iuuenes duo robore fortes
Inter se prensos certent diuellere funes,
Adducantq; retro collum conamine magno.
Atq; trahunt æquam mensuram funis uterq;.
Nec mora, nec requies, retrahant pariterq; trahantur.
Sic pisces prædoq; simul certamina miscent.
Hic cupit elabi: cupit ille educere piscem.
At non destituunt pressum mœrore fidelem
Anthiæ socium: crudeli abducere fato
Contendunt: hærent tergo, miserumq; prementes
Non stulti aduertunt socium se perdere charum.
In cassum pisces cupiunt confringere setas
Dentibus obtusis, est illis rictus inermis:
Tandem concussum remis, uictumq; dolore
Piscator uiolentus agit: prædamq; capessit.
Si paulum cedat pisci, conuellere nunquàm

A ponto poterit: sunt tantæ in corpore uires,
Serrata spina filum plærumque recidunt:
Labuntur curuis hamis, uacuumque relinquunt
Prædonem: & tumidas fugiunt super æquoris undas.
Viribus est talis piscis cognomine pulcher.
Orcyni, & quicunque alij sunt corpore uasto:
Talia non paruo capiuntur monstra labore.
Multos obiecta piscator callidus æsca
Seducit ponti gentes: tibi præda benigna
Cantharus occurrit, qui degit caute profunda:
Cui nassa implicitum circumducatur in orbem:
Sit circum teneris uirgis contexta ligustri:
Sit lentum sparti connexum uimen hiberi:
In latum uenter se porrigat ore capaci:
Carabon immittas intro uel polypon, ambos
In flamma tostos: tali nidore trahuntur,
Insidias scopulo contextas uimine denso
Obliquas tendes: uasto de marmore nidor
Cantharon impellit nassas intrare capaces.
Ingreditur timidus primo, passimque retentat,
Et retro lapsus nassæ super ora recurrit.
Conijtiunt æscas intro, pastusque recentes.
Suscitat hos uenter rapidus, subiguntque, cientque
Inter se pisces, clausas animantur ad æscas:
Vt socius socio dulcis conuiua uocatur.
Iamque cateruatim subeunt, positoque pauore
In nassa degunt solida iam luce quieti:
Ac si possideant miranda palatia pisces:
Tandem decepti norunt mala lustra natantes.
Non aliter iuuenes pupilli tecta frequentant
Aequæui, quibus in luxu consumere uitam
Est animus, paribus studijs lasciua iuuentus

Accersita ruit: ludis noctesq́ dies'q
Conterit: atq domus miseræ patrimonia fundit.
Vt stultos iuuenes rapit inconsulta iuuentus:
Luxuries tandem mœstum tulit improba finem.
Sic clausæ ponti turbæ supereminet atrum
Exitium, prædo nassæ tegit ora patentis.
Deprensos curuo septo segnesq́ reuellit.
Sic demum miserum cernunt impendere fatum:
Luctantur, stultiq́ foras obrepere tentant:
Infortunatos sero nouere penates
Admoas capiunt autumni tempore nassa
Viminea: medias fraudem iaculantur in undas.
Sub nassa appendunt tophum, quod subere firmum
Substentant supra: madidas in fraude recondet
Quatuor humenti cochleas in littore captas.
Lentorem cochleæ fundunt: hinc spuma marina
Albicat: & paruos allectat mota natantes
Turbas in uentrem pronas: quæ uimina circum
Curua natant, cubito adnixæ speculantur ab alto
Admoes extra nassam, curuumq́ recessum,
Pisciculos paruos salientes agmine multo:
Et subito irrumpunt, uenter rapit improbus illas.
Nec prædam nactæ: liquidas fugit illa per undas:
Insidijs frustra sese diuellere tentant:
Dumq́ parant alijs pestem, labuntur in ipsam.
Non aliter sylua in densa montanus agrestis
Fallaces tendit laqueos, & uincula dura
Testibus annectit catuli: latratus ad auras
It, densæ resonant syluæ, panthera gementem
Sentit: & exultans quærit uestigia uocis.
Accurrit uincto properans: sed fertur in altum
Mox canis occulta techna: subit illa lacunam:

Non

Non cibus eſt curæ tanto perculſa pauore:
Deſperat ſuperas depreſſa euadere ad auras.
Tales admoes ſunt paſſæ ad pabula caſus:
Pro paſtu nigras orci uenere ſub umbras.
Chalcidibus fraudes autumni tempore prædo
Inſtruit, & treſſas prendit, gentesq; proteruas
Traguron, naſſam ſparti de uimine texens:
Et uili mixtam uiciæ ſub uimine maſſam
Claudit, & aſperſam uino, miſcetq; puellæ
Aſſyriæ lachrymas: quæ turpi accenſa furore
Thiantis patris, longæuo immixta parente
Infandum irata patrauit Cypride crimen.
Exuit humanam fatali numine formam:
Arboris in faciem uerſa eſt cognomine myrrhæ,
Deflens concubitum lachrymis aſperſa nefandum.
Hos ſuccos miſcet naſſam ſub fluctibus aptans.
Talis odor ſubito ſpirat per marmora lata,
Alliciens ſpecies uarias, & naſſa repletur:
Et fortunatæ ſuccedunt munera prædæ.
Obſcœni madida Salpæ naſcuntur in alga:
Vili decepti miſeri falluntur ab æſca.
Nauiget in primis piſcator forte diebus,
Obſeruetq; locum, & lapidem deturbat in undas,
Et circum uirides ſaxum dependeat algas.
Obſcœni Salpæ depaſcunt hæc loca circum.
Hic naſſæ tendat fraudes, aſt ora ſecundum
Connectat uirides algas, herbasq; uirentes:
Collecti carpunt æſcas, ſeptiq; receſſum
Irrumpunt: retrahit naſſam, cymbaq; regreſſus
Piſcator miro tacitos mouet ordine remos:
Rem peragit tacitus, ſunt grata ſilentia prædis
Omnibus & ſalpis: primum gens iſta pauore

Concutitur, prohibetq́ timor succedere prædam.
Trigla uorat fœdas sordes, & mergit in aluum
Omnes illuuies ponti, non ulla natantum
Agmina tam turpi uictus maculata pedore.
Infectas & sola æscas male gliscit olentes:
Atq; hominum cupide corrupta cadauera pascit,
Obruta cum uasto fluctu uoluuntur in æquor.
Hinc illam prædo sordem male olentibus hamis
Attrahit, & tetro semper conuellit odore.
Affectu simili porci, triglæq; trahuntur
In uentrem: & pastum tanta feritate sequuntur.
Spurcitie cedunt triglis, quantum agmina ponti
Tantum terrestres superat sus fœda cateruas.
Haud facili paruus melanurus fallitur arte,
Nec curua capitur nassa, nec retibus amplis.
Viribus haud magnis fidit, semperq́ gulosis
Abstinet a cœnis, & fulua segnis harena
Se iacit: æquali cursu cum subsidet unda.
Nec liquidis spaciatur aquis, quum fluctuat æstus,
Et mare turbatur uentis, tunc agmine denso
Per fluctus rapitur præceps, non æquoris horret
Gentes, atq; homines sulcantes stagna profunda.
Extrema cuncti, fluctusq́ crepidine clausi
Effugiunt, melanurus abit resonantia circum
Aequora, prospectans si perturbata procellis
Marmora diffundant æscas ad littora gratas.
Stultus non hominis nouit prudentia, quanta
Sit potior, pisces qui brumæ tempore fallit,
Quum feruent fluctus, quum ponti tollitur æstus
Cernuus in scopulo, ponti quem uerberat unda
Altior, & circum stridentia saxa remugit,
Piscator tumidis dispergit fluctibus æscas

Gliscit, & hic pro desyderat posuit magis uulgi more quam proprie. Græce legitur ab authore, ἱμείρει δὲ δυσαέος ἐξοχα δαιτός. quã quam non ignoro apud Statium Papinium in tertio Thebaidos reperiri in illa significatione usurpatum, Dum pellere legem, Et consanguineo gliscis regnare superbus. In qua etiam significatione a Lactantio Grammatico exponitur. Gliscis hic cupis, inquit, significat.

Lac cereri admixtum, currunt ad pascua læti.
Quum tantum iactu distant à littore retis,
Vertit in obliquum corpus piscator, ut unda
Disparens pauidis non reddat piscibus umbram.
In manibus fragili calamo dependeat hamus
Appensus tenui filo, cui desuper æscam
Ponens commotum à fundo deturbet in æquor,
Exitium arripiet piscis, piscator ab alto
Vertice subtollens hamos plærumq; reducit
Elusus calamos, uacuusq; reuellitur hamus.
Non bene discernit turbata fluctibns unda,
Si frustra rapiat, uel si comprenderit hamus
Piscem, si teneat, subito conuellere tentat.
Neu reliqui aduertant fraudem, fugiantq; timore.
Et cephalos fallunt, qui non sunt turba gulosa,
Admiscent lacti Cereris gratissima dona,
Spirantemq; terunt mintham. Cocytida nympham
Quondam formosam celebri rumore puellam
Iupiter infirmus petijt, tenuitq; petitam,
Sed quum Persephonem rapuit sub montibus Ethnæ,
Zelotipa exclamat mintha exagitata furore,
Atq; procax uerbis furit indignata superbis.
Aspectu & forma iactat sibi cedere pulchram
Persephonem, & stygio nympham propellere regno.
Tandem fallacis sensit mala præmia linguæ.
Alma Ceres pedibus mintham tellure iacentem
Pressit, & in plantam nympham conuertit olentem.
Hamos illiniunt, cephalus pellectus odore
Accurrit subito, nec longe sistit ab hamo.
Est illi similis, qui trita ad compita uenit,
Ramosasq; uias cernit, gressuq; repressо
Nunc animum ad dextram uertit, quandoq; sinistrа

Tentat iter: partes dubius se uoluit in ambas:
Fluctuat ambiguus, uasti ueluti maris unda:
Vix alternati potior sententia uisa est:
Sic cephalus partes animum uersabat in omnes:
Spectabatque dolos, anceps Neptune petebat
Pabula, iam fato fuerat uicinus iniquo:
Et metuit, cessitque retro, rursusque timore
Concussus fraudem repetens uestigia pressit.
Est occlusa domi talis lasciua puella:
Quum cupiat dulces epulas absente parente:
Vel tractare aliquid, matris charæ timet iram:
Et quamuis cupiat, non audet tangere quicquam
Occulte repens: rursus pauefacta recedit:
Nunc timor est animo, nunc est audacia cordi.
Formidans semper conuertit lumina portæ.
Sic piscis liquidis uarius deflectitur undis:
Et tristem fraudem perlustrat cominus audax,
Non gustare cibum, non hamum tangere promptus:
Ni prius aduertat, si uiuæ carnis odores
Percutiant nares (pascit non corpora uiua)
Post summis mordet labris, & pabula libat.
Piscator subito piscem mucrone reuellit:
Vtque auriga ferox bene continet ora lupatis
Fortis equi, aduellit confossum gutture piscem,
Atque reluctantem contra, labique parantem.
Quum etiam curuis gladij falluntur ab hamis,
Non (ueluti reliqui) subeunt crudelia fata,
Appendunt chorda limatum cuspide bina
Hamum, qui nulla sit contemeratus ab æsca.
Hoc superimponunt piscem de mollibus unum:
Quæ caute annectunt: gladius uentre excitus audax
Ense ferit corpus piscis, nodoque relapsa

Gladius piscis uentre, i. cupiditate uentris excitus ferit corpus suũ ense, i. binæ cuspidis hamo.

Mem-

Membra refecta cadunt: gladijs defertur in hamum.
Non nouit curuam fraudem, mala prandia carpens
Ducitur à forti gladius prædone reuinctus.
In gladios duros piscator plurima cudit:
Per mare Tyrrhenum dum tendit piscibus artes
Massyliam iuxta sacram, Celtasq; potentes.
Hic gladij immanes, & uasto corpore degunt:
Qui superant reliquos ingenti mole natantes.
Squamigeram effingunt cymbam mucrone feroci:
Quæ possit gladius squamis atq; ense uideri.
Occurrunt contra gladij, non transtra uidere
Non cymbam sperant: uerum socia agmina rentur.
A cymbis tandem clausi, mala dira reuoluunt
Pectore sub tristi sero sua fata uidentes:
Quum sunt perfossi sua membra tricuspide telo.
Sæpe repellentes hostem mucrone carinam
Irati penetrant, gladij piscator ab ore
Abscindit telum: paruæq; foramina cymbæ
Obstruit: hic trahitur priuatus robore tanto.
Non aliter capiunt meditatis fraudibus hostem,
Qui cupiunt arcem, seu cinctam mœnibus urbem
Oppugnare dolis: prostrata cadauera furtim
Armis expoliant nitidis, & scuta uirorum
Magnorum accipiunt humeris, armantur ouantes
Hostilibus spolijs, & circum mœnia currunt:
Et circa portas, qui celsa cominus arce
Despiciunt: ciues credunt & claustra recludunt
Portarum, & charis omnes lætantur amicis.
Sic nauis gladium sub piscis imagine fallit:
Obliquis septum linis dementia fortem
Interimit piscem: salit atq; euadere certat.
Contextas fraudes cædit, nec mente reuoluit:

Quo

Curuam fraudē, id est, fraudem curui hami.

Despiciunt, s. il los circum mœ nia & portas cur rentes, Ergo, qui, hic non relatiue, sed infinite acci pitur, ut si qui .i. quicunque.

Quo pacto telo sese componat in hostem.
Territus in septo retis, totusque remissus
Est animo, donec miserum per littora uoluat
Piscator, gladijsque caput diuerberet hastis
Multis, & piscis peragat crudelia fata.
Insulsos capiunt scombros, thynnosque furentes,
Et pisces dente horrendo, longamque belonam,
Quum uideant alios scombri curuamine retis
Clausos, affectant retis colludere in aluo,
Et lini penetrare sinus, curuosque recessus.
Sunt similes pueris, rutilas qui lumine flammas
Ardentis cernunt ignis, radiosque nitentes,
Ridentes tractare uolunt, dextramque tenellam
In flammam tendunt, sed quum torquentur ab igne,
Tunc demum norunt infestæ incendia flammæ.
Sic illi cupiunt fraudem, datur unde regressus
Nullus, & hostili miseri satiantur amore.
Qui septo retis clausi per retia rara
Exiliunt, illos cohibent angusta plagarum,
Impliciti lino fato moriuntur iniquo.
Innumeros scombros spectabis retia circum
Affixos ueluti clauos, hi lina subire
Contendunt, fatumque petunt, hi rete reuincti
Exiliunt, madidasque plagas euadere certant.
Et similis fatuum tangit dementia thynnum,
Atque malo tanto, diraque cupidine damni
Corripitur, semperque cupit penetrare recessus
Retis, & in laqueos sese intricare dolosos.
Conatur rictu maculas extendere paruas,
Et duro morsu laqueos laxare plagarum,
Nec properare fugam celerem per retia tentæ,
Nec ualet angustos luctando exire meatus,

Sed duris uinclis alto sub gutture uinctos
In terram thynnos rapit inconsulta uoluntas.
Quinetiam tali dicuntur mente belonæ.
Quum sunt ereptæ lino, duroq́ periclo:
In laqueos fundunt bilem, morsuq́ recidunt:
Inq́ sinus rursus tentant irrumpere dente,
Decepti insidijs uallato dente natantes.
Insulsi curuum demissum fluctibus hamum,
Inq́ uicem obliqui prospectant lumine toruo:
Non hærent fraudi, si quis præcurrat ad æscam:
Magna subit reliquis rapiendi audacia menti.
Infixus trahitur primus, sed cætera turba
Læta uident: rapti gaudent in fata ruentes:
Certatim ueluti pueri ad ludibria læti.
Thynnorum gentes grato sub tempore ueris
Post partum, & Veneris postquàm cessauit oestrum:
Oceani celeres ueniunt à fluctibus altis,
Atq́ sinus alio sulcant, nam fortis Iberi
Primo traijciunt portum: gens aspera bello,
Et studio prædæ thynnos populatur euntes.
Post Celtæ capiunt prædam circum hostia pulchri
Eridani, ueteres quos misit Phoca colonos.
Trinacriam quicumq́ tenent, post retia tendunt
Thynnis: & præda fortes ditantur opima.
Tyrrhenum iuxta pontum per marmora thynni
Sparsi per tumidos æstus, fluctusq́ profundos
Errant: quum uernæ findunt uasta æquora turmæ,
Tuncq́ locum piscator habet, non flamine uenti
Turbatum, & placida qui nunquàm fluctuat unda.
Non adsunt ripæ densæ, non rupe maligna
Angustus: teneat mensuram littoris æquam
Piscosis ponti scopulis, latisq́ cauernis.

Iberi Hispaniæ populi bellicosi.

Ascendat celso speculator uertice montis:
Memnonis alma parens, primo quum surgit ab ortu,
Aspiciat uarias acies, quanto agmine uerrant
Vndas: & socijs subito prædicat ab alto:
Confestim pelago procedunt retia cuncta.
Sunt urbes ueluti magnæ: queis limina lata:
Queis portæ magniq́ sinus, magniq́ recessus:
Perq́ tribus ueluti properant ad bella phalanges:
Sic thynni ueniunt, hi sunt in flore iuuentæ,
Isti longæui, medio sunt corpore multi.
Innumeri uastam retis labuntur in aluum:
Donec prædones educant retia læti,
Distentatq́ sinus omnes ditissima præda.

LIBRI TERTII FINIS.

☞ ARGVMENTVM QVARTI LIBRI OPPIA ni per Laurentium Lippium Collensem, ad Laurentium Medicem.

IN quarto sæui uires narrantur amoris:
Eripitur socio scarus de uimine cauda.
Fallit amor cephalus: & fœmina tracta per undas.
Sepia fœmineo subit ultima fata furore.
In Venerem pronus uxores cossyphus ardet.
Nec galei & catuli socium discrimine linquunt.
Polypus ad glaucam reptat periturus oliuam.
Et sargus simæ capitur sub imagine capræ.
Hippurus laceræ prendit fragmenta carinæ.
Lolligo longi capitur sub stamine fusi.
Spiritus anguillas inflato uiscere ducit.
Ast aphiæ nexæ nodum glomerantur in unum.
Pelamides uasta fundo sub mole trahuntur.
Vallatos spinis, manibus trahit æquore sargos:
Pellit letiferis pisces in fata uenenis.

Cossyphus a Theodoro latine merulus siue merula dictus est.

trahit. s. piscator

OPPIANI ALIEVTICON, ID EST, DE PISCIBVS,

Laurentio Lippio Collensi interprete

Liber quartus.

IN prædã multas põti iubet ire phalãges
Sæuus amor: diras tedas, Veneremq́ secuti
Le talẽ, et coitu properatã accersere pestẽ,
Enixi sæui subierunt damna furoris:
Antonine pater, cui magna potentia cessit,
Inter magnanimos reges decor inclite nati
Carminibus nostris lætam conuertite mentem:
Præsentes mecum uersu gaudete natantum:
Quem sacræ Musæ tribuentes mitia dona
Exornant, uario cultu cantuq́ coronant,
Et mihi diuino concedunt numine uestris
Auribus, & menti dulces miscere liquores.
Improbe amor superas fallaci pectore diuos
Iocundus uisu: figis sub corde dolores:
Excipis incautos homines, uelut alta procella,
Turbans accensos spiras sub mentibus ignes:
Tristia feruenti depascis pectora cura.
Lachrymulis teneris molles infundis amores:
Teq́ iuuat cordis gemitus audire profundos:
Te iuuat ardenti consumere uiscera flamma:
Te formæ nitidos iuuat obscurare colores:
Perturbare potes mentes, oculosq́ cauare,
Præcipue, quibus attonitis horrore tremendo
Incutis horrendam rabiem, tantumq́ furorem:
Dire Cupido tibi sunt hæc conuiuia grata.

Si

Si ſuperos inter uetus adducatur origo:
Quippe chao natus fuſca flammaq́ nitenti
Luces, & faculas mortalibus excutis ignis.
Primus iunxiſti tedas in amore iugales:
Et primum mites formaſti durus agreſtes
Alatum (uelutiuolucrem) te Dædala celſi
Produxit regina Paphi: tu mente ſerena
Pacatus uenias tranquillo pectore nobis.
Pone modum, nullus duros effugit amores:
Imperium quocunq́ regis, quocunq́ locorum
Te cupiunt homines, & magno ſceptra pauore
Formidant, fœlix qui mitem ſentit amorem.
Mortales, ſuperi, uolucres, genus omne ferarum
In furias ignemq́ ruunt, amor omnibus idem.
Acer amor penetras limoſæ in ſtagna paludis,
Letifero madidos defigis uulnere piſces,
Vt nihil intactum dimittant ſpicula ſæua,
Nec piſces altis celeres linquantur in undis.
Inter ſe firmum conſeruant fœdus amoris
Scari, nec ſocium ſummo diſcrimine linquunt,
Vulnifico ſcarus quum ſit defixus in hamo
Eripitur ſocio, ſæpe auxiliaribus armis
Pendula ſerrato reſecatur linea dente.
Eluſus prædo triſtatur piſce recepto.
Aſt alius ſocium curuo ſub uimine captum
Subſtulit, & dira miſerum de peſte redemit.
Lapſus in inſidias naſſæ ſe uimine piſcis
Diſſoluiſſe cupit, clauſamq́ relinquere ciſtam,
Obſtipo capite defigit lumina terræ,
Et natat in caudam docilem, ſeptoq́ uagatur,
In caput erumpens, uirgas formidat acutas,
Quæ circumtextæ ſubclaudunt hoſtia ſumma,

Neu feriant oculos: alij sub uimine clausum
Aspiciunt socium flectentem lubrica terga:
Atq; reluctantem frustra, labiq; uolentem:
Auxilium præstant misero, calathoq; reuellunt:
Et caudam ueluti dextram quis porrigit intro:
Mordicus apprendit subito, & conuellitur extra
Cauda salutifero socij sub dente reuincta:
Sæpe suam clausus mittit per uimina caudam,
Qua portas extra trahitur reuocatus ab orco.
A socijs tali scari sunt arte recepti.
Montibus incultis ueluti sub luce maligna
Noctis iter carpunt multi, quum Luna recondit
Lumen, & obscurum subfuscant nubila cœlum:
Anfractus montis illos, tenebræq; fatigant
Errantes, dextrasq; tenent, tractiq; trahuntur,
Alterno reparant sudantia membra labore,
Atq; ita amicitiam pisces, & mutua seruant
Fœdera, & occlusos alterno dente resoluunt.
Piscator scaros in mœsto fallit amore.
Nec mora, fatiferam meditatur piscibus artem.
Quatuor ascendunt scapham, sed remige proni
Sunt duo, qui pellunt per æquora puppim.
Tertius intexit fraudes, uerritq; per undam
Scarum fœminei sexus summa ora reuinctum.
Præstare tuiuam, fuerit si morte perempta,
Delphini plumbum medio ponatur in ore, *in ore, s. scari.*
Quod longas quatiat chordas, & fune reuinctus
Parte alia cubus plumbi uersetur in undis.
Fœminea uiuenti similis prædone trahetur. *prædone, hoc est, a piscatore.*
E regione trahat quartus de uimine nassam
Non procul a septo, spectantes agmine multo
Vt sociam scari tractam per marmora summa

Eri-

Eripiant celeres, currunt, nauemq; coronant
Fœmineis acti stimulis, hi remige puppim
Viribus impellunt, pisces examine denso
Sectantur scapham, subito cum fine supremum
Auxilium uenit, quum tot uidet agmina circum
Piscator, tanto Veneris stimulata furore,
Atq; in fœmineum rabiem spirantia sexum,
In nassa ponit linum, plumboq; grauatum,
In cistam pellit scarum, turba ista secuta
Vt uidet, ut fusa est, textum concurrit in orcum,
Certatim trahitur studio collisa caterua,
Artantur fauces latæ, portæq; patentes
Agmine densato tali rapiuntur asilo.
Non aliter quibus in cursu contingere palmam
Est animus, celeres erumpunt carcere, tentis
Ad cursum genibus properant, & uincere certant,
Alternantq; pedes, fit multus in æquore puluis.
Omnibus unus amor laudis, contingere metam
Ardentes cupiunt, & præmia mente reuoluunt.
Sic amor in septum pellit, nassæq; profundum,
Et trahit in fraudem pisces, datur unde regressus
Nullus, & occlusa nequeunt euadere cista,
Supremo pereunt coitu, Veneri sq; furore,
Et sponte in caueam se deiecere dolosam,
Et piscatori prædam fecere superbam.
Quinetiam curua libratur fœmina nassa
Pendens speluncam iuxta, quæ grata putatur
Scaris, hic multos Veneris demulcet amore
Fœmina, quos Veneris cupidos leuis excitat aura.
Nam saliunt circa septum, faucesq; requirunt,
Quod nactæ, subito fundum uoluuntur in imum,
Et Veneris finem stimulos in morte relinquunt.

Ac ueluti alitibus fraudes bonus instruit auceps,
Occultat uolucrem densa sub fronde canoram,
Quæ multas blandi capiat dulcedine cantus,
Dulce melos tenui uolucris de gutture fundit,
Ad quam festinant uolucrum densissima turba,
Fœmineo allectæ cantu sub fraudibus hærent.
Sic illi curuam nassæ labuntur in aluum.
Hoc letale malum subter præcordia figit
Sæuus amor cephalis, quos fœmina tracta per undas
Mollior & splendens, & totum corpus obæsa
Decipit, hac uisa miro pelluntur amore,
Pellecti circa forma capiuntur, & illam
Nunquàm destituunt, blandi mulcentur amoris
Illecebris, dominam per marmora lata sequuntur.
Ad terram si quis lino subduxerit hostis,
Obliti fraudis uestigia ponè sequuntur.
Non aliter pulchræ prospectant lumina nymphæ
Formosi iuuenes, longæ nitidæq; puellæ
Læti admirantur formam, quæ possit amari,
Mox iuxta quærunt occulto tramite nympham,
Non illos repetunt calles quos ante solebant,
Pellecti nutu dulcem sectantur amicam,
Sic sparsos pisces uideas in amore furentes,
Ast amor actutum ueniet despectus, & illos
Piscator cautus nodosa in retia pellet,
Nexilibus laqueis iactis teget agmina multa.
Non fortunato cata sepia carpitur igne,
Quæ multa in pelago potuit uitare pericla,
Iam non lina fugit, non densi uimina septi.
Eliciunt illas piscantes æquore toto,
Fœmineam appendunt pestem, ducuntq; per æstus.
Postquàm è conspectu uaga fœmina tracta per æquor

Cernitur à maribus, ſubito amplectuntur amaram,
Atq; uolubilibus nodis ſpiriſq; rotati
Implicitam ramis ſtringunt, cupiuntq; teneri.
Ac ueluti uirgo fratrem mitemq; parentem,
Qui longe à patria fuerant iam tempore longo:
Incolumes cernens teneris complectitur ulnis.
Ac ueluti nuper iuueni formoſa puella
(Aurea quam uinclo uinxit Cytherea benigno)
Arrepta ad thalamum ſponſi complexibus hæret,
Candida dilecto circundans brachia collo:
Inq; rudi nodo conſumit tempora noctis.
Sic iſtæ implicitæ Veneris nec munera linquunt
Tali connexæ nodo, nec uincula ſoluunt:
Donec piſcator capiat, cymbæq; reponat:
Connexæq; ſimul ſubeant crudelia fata.
Has etiam naſſis capiunt ſub tempore uerno.
Nam curruum ſeptum myrti de fronde coronant:
Et iungunt uirides frondes, quas horrida gignit
Arbutus: atq; alijs folijs hoc uimen opacant.
Quum coitum cupiunt, & dulces ſoluere partus:
In caueam properant, & ſtrata fronde quieſcunt.
Sic amor expletur miſera cum morte proteruus.
Piſces in ſiccam clauſi ducuntur harenam.
Peſtifero ante alios merulus cruciatur amore:
Vxores ardet plures: uexatur oeſtro,
Vexatur zelo, zelus grauis urit amantes.
Non unus lectus merulo, non unica nympha,
Non thalamus, multæ uxores, multæq; cauernæ.
Semotæ occultant numeroſa cubilia nymphæ.
Tota habitant curuis ſponſæ ſub luce cauernis:
Suntq; nouis ſimiles nuptis, quæ limine nunquam
Diſcedunt thalami, tantum ſub corde pudorem

Voluunt: & tanto suffundunt ora rubore.
Sic in secessu scopuli gens ista moratur.
Coniugis imperio parent, & iussa capessunt.
Dilectas merulus sponsas non deserit unqu'am,
Obseruatq; thoros, alio' conuertere mentem
Non potis est: scopulis semper uersatur in ijsdem,
Nunc istum quærit thalamum, nunc circuit illum,
Contemnit pastum, totus suspirat in istas.
Zelotypo misero tantum custodia curæ.
Nocte cibos quærit, paulum quid nocte quiescit.
Quum pariunt fœtus sponsæ, tunc æstuat igne:
Tunc furit atq; timet, nunc coniuge pendet in illa,
Nunc obit hanc, pauidum credas, similemq; timenti.
Non aliter tantos uoluit sub mente dolores
Mater: quum primum fœtum parit unica nata.
Hanc timor excruciat: furit exagitata dolore:
Per thalamum queritur, gemitus 'a pectore mittens:
Atq; preces fundens toto manet anxia corde:
Donec uagitus pueri pulsauerit aures,
Sollicita eijciens tantos 'a matre dolores.
Assyrios memorant tales adducere mores
Qui circa ripas Tygris, fluuijq; meatus
Oppida magna colunt, & Bactræ, qui procul arcu
Contra hostem celeres docti torquere sagittas.
Plures uxores ducunt, nec coniuge sola
Gaudent, & dulcis ueniunt ad gaudia lecti,
Alternantq; uices noctis, stimulisq; coactæ
Zelotypæ inuidia pereunt, bellumq; lacessunt.
Nil peius zelo mortalia pectora carpit:
Cum tristi miscens fletu suspiria multa,
Et rabiem sæuam miseris mala damna ministrat.
Exitus est illi mortis sæuissima pestis:

Et dulces merulos in tristia funera pellit:
Qui tristes duræ cupiunt fera præmia tedæ.
Quum prædo uideat merulum prope saxa profunda
Sæpe uolutantem, & pro coniuge multa timentem:
Expediens hamum, squillam configit in illo:
Et nexam cubo plumbi submergit in altum
Aequor: & occultis thalamos rimatur in undis:
Atque agitat circum saxosa cubilia fraudem.
Erumpit merulus thalamis, & carida uiuum
Riualem punire ratus, subit impia fata.
Nam prædo fixum mento mucrone corusco
Traxit nitentem contra, labique uolentem:
Et carpens tali mouit conuitia uoce.
Nunc serua lectos: nunc sint connubia curæ,
Nunc sponsis lætare miser: nunc antra require,
Nunc thalamos, non una Venus, non una uoluptas
Est tibi: sed lectis solus multisque cauernis
Exultas: sed sponse ueni, tibi teda parata,
Ignis lucentis splendor, flammæque corona.
At postquam tali sublatus morte maritus,
Sponsæ palantes fato rapiuntur eodem.
Et galei & catuli pereunt, atque agmina ponti,
Quæ stimulis feriunt: seruant dum pignus amoris,
Auxiliumque ferunt perituris fœdere certo.
Piscator properat qua cœni est alta uorago:
Et manibus longis hamum demittit in undas:
Cui super affixus piscis candore nitenti.
Extemplo ad catulum furtim mucrone reuulsum
Ardentes currunt socij, nauemque sequuntur,
Agmina tunc figes insana tricuspide telo.
Tunc circumducta retis capientur in aluo.
Non dant terga fugæ: nisi tractum fune sodalem

Per apostrophen conuertit sermonem ad merulum piscem.

Cernant: tunc una fortes occumbere tentant.
Non aliter mœsti ueniunt ad funera patres
Defuncti nuper nati, tactiq; dolore,
Cum gemitu plangunt pectus: nec busta relinquunt:
Nec tristes proprias cupiunt remeare sub ædes,
Hærent impliciti tumulo, frustraq; laborant:
Et cupiunt una cum nato claudere uitam.
Sic isti nunquam conuulsum ad funera piscem
Destituunt, donec casu moriantur eodem.
Est alijs peregrinus amor, peregrina cupido.
In terram diro siccam rapiuntur asilo
Polypus, & sargus saxi ferus accola duri:
Externæ gentis sæuo uexantur amore.
Palladijs gaudet ramis fœlicis oliuæ
Polypus: & glaucis folijs (mirabile dictu)
Corripitur: gliscitq; comas frondesq; uirentes.
Est totus lætus ramis, & fronde benigna:
Quum iuxta pontum nigris stat splendida baccis
Arbor: & expansis consurgit littore ramis.
Polypus ad frondes trahitur, ceu per iuga montis
Sæpe canes quærunt uestigia tecta ferarum,
Atq; feras prendunt, dominos ad lustra trahentes.
Sic uirides ramos discit frondentis oliui
Polypus, & subito salsis emergit ab undis,
Per terram repit ramos ubi nactus oliui
Applaudit trunco lætus, radice sub ima
Flectitur implicitus, ueluti complectitur ulnis
Nutricem nuper uenientem paruus alumnus,
Inq; sinus primum puerilia brachia iactat,
Atq; cupit niueo connectere brachia collo.
Sic est Palladiæ ramis connexus oliuæ
Polypus, & totus lætatur fronde uirenti,

Nunc

Nunc pedibus tentis ramum complectitur illum,
Nunc istum ueluti peregrina ex urbe reuersus
Collectos unà dulces offendit amicos:
Extensis manibus cupide complectitur omnes.
Celsa non aliter obrepunt abiete sontes
Nexæ hederæ: & surgunt primum radicibus imis:
Et multis nodis longe lateq́ per omnes
Tolluntur ramos ad summa cacumina tensæ.
Sic lætus glaucæ sua brachia nectit oliuæ
Polypus: hunc similem dulci quis dicat amanti?
Postquàm Palladijs ramis exempta cupido,
Expleuitq́ animum folijs seu fronde uirenti:
Protinus æquoreas obrepit lætus ad undas.
Talis amor frondis, uel tam furiosa cupido,
Hunc capit: & tali piscator fraude peritus
In medium iactat plumbum: quod fronde reuincit
Palladia, at piscis ramos non temnit oliui,
Sed sociam prendit frondem, nec deserit unquàm.
In nauem tractus rami non uincla relaxat:
Non odit uiridem iam iam moriturus oliuam.
Inuadit sargos caprarum mira cupido:
Qui madidi simas cupiunt tractare capellas.
Montanis gregibus: quamuis sint agmina ponti,
Gaudent: & fœde rapiuntur amore capellæ.
Prò pudor, an sperant concordes ædere fœtus?
Incultos montis colles pelagiq́ meatus
Pastores claudunt, cum sera crepuscula lucent,
Tempore quo flauas Phœbus desiccat aristas:
Ducunt loturas ad littora sicca capellas.
Postquàm balatus aut uoces littore sargi
Pastorum audierint: saliunt ex æquore toto:
Sint licet ignaui, properant examine multo.

Humida cornigeras gens circumfusa capellas
Læta salit: lambitque gregem, & blanditur ouanti.
Pastores talem longe admirantur amorem:
Qui primum stupidi cernunt miracula facti.
At læte accipiunt pisces, spectantque capellæ:
Gaudent dilectas ponti spectare choreas.
Exultant sargi contra: non est modus ullus
Lætitiæ: teneri non tantum matribus hœdi
Adplaudunt, stabulis clausi pastuque regressas
Accipiunt gestu læti, saltuque petulci.
Omnia quum circum reboant loca uocibus illis:
Pastores dulces fundunt de pectore risus.
Ac ueluti mater natum, coniunxque maritum
Ire peregrinas longe tristantur in urbes:
Mœstitiamque alto tristes sub corde recondunt:
Et celsas scandunt speculas, & lumine lustrant
Aequoreas undas, & fletibus ora relaxant:
Non gressum reuocant: & lumina in æquore figunt.
Sic mœsti sargi lachrymis tristantur obortis:
Quum pastor capras abigit de littore lotas.
Sarge miser subito (ni fallor) dira cupido
Afferet exitium, pastor tibi caussa doloris:
In fraudem & mortem piscator uertet amores.
Piscosas gemino quæ surgunt uertice cautes,
Non longe a terra distantes æquore paruo,
Coniectat clari fulgentes lumine solis.
His habitant sargi scopulis, hæc saxa frequentant,
Nam solis gaudent radijs, & luce nitenti.
Ast olidæ prædo tectus sub tegmine capræ,
Temporibus summis duo cornua longa coaptat,
Et pastorales meditatur pectore fraudes,
Viscere caprino simul & nidore farinam

Temporibus hoc loco pro partib. capitis accipitur quæ a græcis κρόταφοι dicunrur. Op. habet, διὰ κέρα κροτάφοισι περὶ σφετέροισι ἀνάφας.

Com

Commixtam, tumidas ponti demittit in undas.
Gratus odor, pastor gratus, simulata capella
Istos decipiunt, nec fraudes mente dolosas
Cernunt, sed læti gaudent, lambuntq; capellæ
Hostem consimilem, sed mox non mitia corda
Inuenient miseri sargi sub pelle caprina.
Tunc cito pestiferum socium sub tegmine noscunt.
Cornea cum niueo tendens hastilia lino
Infigit carnes hamo, quas ungula capræ
Innatas retinet, carpunt obiecta repente
Pabula, piscator retro sua brachia curuans
Attollit sargum, si quis præsenserit artem.
Villosas abigit capras, odioq; sequuntur
Pastorem, simulachra, cibos, & pascua toti.
Si sint abstrusæ fraudes, tollentq; laborem,
Arte uelox omnes capræ sub imagine fallet.
Rursus amor sargos carpit sub tempore uerno,
Pro tedis simul, & chara pro coniuge certant,
Decernunt dira miseri connubia pugna.
At si quis tanto fuerit certamine uictor:
Coniugibus cunctis uir tantum sufficit unus,
Fœmineos cœtus claudens sub caute marina.
Hi piscatores fundo cicloq; capacem
Occultam nassam, contextam uimine denso,
Et stipant fauces myrto, lauroq; uirenti,
Frondibus aut alijs, quas circum septa renectunt.
In bellum sponsos quum dirum pellit oestrum,
Pugnatur, tedas inter fera surgit Enyo.
Victoris nutu sponsas parere necesse est,
Qui curuam quærens petram tectoria nymphis,
Offendit nassam ramis, & fronde latentem.
Huc nymphas pellit, subeunt hæ septa profunda,

Hic alios arcet sargos, caueaq; repellit.
Sed quum plena choro nympharum nassa profunda,
Vltimus ingreditur caueæ irremeabile septum.
Ac ueluti opilio pastas in ouilia ducit
Lanigeras pecudes, & portæ in limine gressum
Sistit, & intrantes lustrat, numerumq; recenset,
Si cunctæ incolumes redeant, sed iam grege clauso
Stipatur plenum stabulum, subit ultimus ipse.
Sic prior ingreditur sponsarum in uimina cœtus,
Postremo sargus textum se mittit in antrum,
Et miseras nymphas misero sectatur amore.
Talia belligeri miscent certamina pisces,
Atq; cupidineo pereunt in fraude furore.
Si qua per æquoreos uideant agitata tumores
Fragmenta, hippuri quærunt, & pon'e sequuntur,
Præcip... nauem disruptam turbine uenti,
Neptuni fluctus scindentem numine leuo,
Atq; fluitantem dissutis undiq; lignis.
Hippuri fractis hærent, luduntq; tabellis.
Obuia si ueniant piscanti concita ligna,
Venatu facili prædam captabit opimam.
Auertant talem Neptuni numina pestem
Nauibus, & uentis sinuentur uela secundis,
Atq; onus alterno portent, reuehantq; labore,
Immotæ illesæ subeant uada cæca carinæ.
Hippuros alio liceat molimine prædæ
Fallere, securæ currant super æquora naues.
Densa compactum subnectat harundine fascem,
Et fluctu in medio ponat, subterq; molarem
Vinciat, aggestas quatiat qui pondere cannas.
Hippurωn gentes umbra lætantur opaca,
Et circum calamos currunt examine multo,

Exultant, ludunt: cannæ sub fasce residunt.
Tunc prædam piscator obit: tunc æra recurua
Deijcit in pontum: pisces in fata ruentes
Certatim arripiunt hamum, fixiq; trahuntur.
Sic ad bella canes irritat uiscere iacto
In medium quisquam, furiunt pro uentre uoraces,
Præcurrunt rabie multa, dextramq; retentant
Iactantis: rixæ fiunt ubi uiscera iactat:
Dentibus infrendunt, & morsibus ora dehiscunt.
Sic isti in fraudem incurrunt uertice prompti:
Post alios alios prædo (mora nulla) reuellit.
Ad mortem temere properant, hamumq; sequuntur.
Tali stultitia, taliq; cupidine captus
Vmbræ sub stygias descendit pompilus umbras
Piscator uirgam contorto fune globatam
Præparat: innumeros infigens desuper hamos
Piscibus exitium, forti mucrone propinquos:
In quibus infigit fallacem iulidis æscam: Iulis piscis.
Et resupinatos sub lymphis occulit hamos:
Furtiuam medijs fraudem suspendit in undis.
Quum uideat fixam lolligo, irrumpit in æscam:
Dumq; premit sursum se circum fila uolutans
Cuspide confossus, quo se conuellere frustra
Nititur: & luctans contra sua terga reuoluit.
Atq; puer ludens uasti prope littora ponti
Decipit anguillas: longa intestina sub undas
Conijciens: hami setis æquata uideres.
Vt uidet, utq; ruit, longa intestina petentem
Arripit, atq; cito sensit tumefacta perire.
Namq; puer sufflans, anima intestina repleuit:
Et subito uentus densus percurrit in ora
Anguillæ: & pueri flatu tumefacta laborat:

Et uento arctatur, frustraq; euadere tentat,
Inflatam penitus, & toto pectore anhelam
Spiritus educit pueri ludentis in altum.
Non aliter certat cratere educere pleno,
Cum calamo uinum si quis trahat ore tumenti:
Namq; trahit flatu uinum, sequiturq; repente
Per calamum Bacchus currens ad labra bibentis.
Sic tumidæ anguillæ sufflantis ab ore trahuntur.
Roboris est expers genus imbecille natantum.
Hos densos cœtus aphyas dixere priores:
Engraules etiam perhibent hos nomine dictas:
Piscibus expositæ cunctis gratissima præda:
Et dant terga fugæ, semper formidine uiuunt
Innata, atq; uno circum glomerantur aceruo,
Innexæq; manent, magnum cumulantur in orbem,
Inuiti tanquàm patiantur uincula nodi.
Non posses stricti iuncturam noscere nodi:
Non aliqua ratione queas dissoluere uincla.
Sæpe globus naues sistit, cursumq; moratur:
Sæpe ratem pulsam remis ui sistit euntem,
Illisi remi ueluti sub caute tenentur.
Atq; aliquis ualidam tollens in terga bipennem,
Percussit nodum, nec densam scindere turmam
Eualuit: paruiq; gregis iam parte resecta,
Hæc capite, hæc cauda, medio truncabitur illa:
Ast aliam totam populabit magna securis.
Defunctis similes multæ, miserabile uisu.
Conscia plagarum nodi non uincula dura
Agmina dissoluunt tali compage reuincta.
Piscibus occurrens aliquis congessit in unum
Palmis: ut flauæ montem cumularet harenæ.
Implicitos postquàm cuneos e littore cernunt

Prædones,raro circundant agmina lino:
Atq; trahunt uinctos ad littora tuta natantes,
Innumeræ prædæ magni cumulantur aceruí.
Ac ueluti messor culmos,stipulasq; uolantes
Ventilat:& pala iactat frumenta bicorni.
In medio Cereris magnos componit aceruos,
Area tot cumulis apparet candida uisu:
Piscibus innumeris canent sic littora ponti.
Pelamidum gentes euxini marmore lato
Nascuntur fœtus thynnorum tempore uerno.
Quos partus duros thynni super hostia lata
(Qua pontus miscet fluctus mæotide fusca)
Collecti pariunt calamis,partuq; soluto,
Oua uorant subito,& lacerant sub dentibus atris
Quæcunq; inueniunt,calami iunciq; marini
Multa occulta tegunt,hæc læti tempore ueris
Pelamides gignunt:quæ primo frigore brumæ
Incipiunt tentare uias,peregrina petentes
Aequora:non fluctu paruæ uersantur eodem,
Quo genitæ:externos cupiunt tranare meatus,
Aequoreos inter tractus Neptunia regna.
Non perhibent alium fundo maiore putari
Threicio:hinc nigrum dicunt,nec flamine uenti
Hoc mare conturbant:nec uoluunt turbine sæuo.
Hic altæ cautes:hic cœni uasta uorago,
Hic quicunq; cibi paruorum turba natantum
Pascunt:huc properat nuper generata caterua.
Pelamides horrent gelidæ mala frigora brumæ,
Quæ faciunt hæbetes oculos,& lumina lædunt:
Hos nactæ tractus crescunt,placidisq; morantur
Fluctibus:& læti ueniunt ubi tempora ueris,
Istas tangit amor lecti,fœtuq; repletæ

Quàm celeres primas subito gradiuntur ad undas,
Et soluunt fœtus pondus miserabile uentris:
Tunc diri Thraces sæuo certamine prædam
Cædibus horrendam, & fatali Marte cruentam,
Multisoni faciunt tranantes æquora ponti.
Est non longa abies, sed magna mole grauata,
Nec cubitum excedit: quam plumbea uertice summo
Pondera circundant, & acuti robora ferri
Sunt inflexa supra, teloq; tricuspide multæ
Sunt infixæ acies, sunt nexi robora circum
Intorti funes: contis tolluntur in altum
Robora: & in magnum iaciunt quassata profundum.
Quæ subito casu, & plumbo ferroq; premuntur,
Et lapsa in præceps hærent radicibus imis.
Quot miseras prendunt uasta sub mole grauatas:
Tot miseræ sæui penetrantur acumine ferri.
Pelamidas si quis audaci pectore cernat:
Et dolet & sortem secum miseratur iniquam.
Isti letiferum penetrauit in ilia ferrum:
Hæc capite attrita est: aliæ letale suprema
Sub cauda accipiunt telum, sed tergora multis
Delapsum abscidit robur, sub uentre dolosas
Ostendunt acies multæ: pars altera fixo
Est utero, atq; alto telum sub pectore condit.
Nauali ueluti miscent quum bella tumultu:
Post pugnam socij respersa cadauera tabo,
Inq; pyram flentes ponunt: & uulnera multa,
Et uariæ apparent plagæ, tetriq; cruores.
Talia pelamides ostendunt uulnera pressæ:
Piscanti Martis læta hæc simulacra uidentur.
Turmis pelamidum paruis tenuissima lina
Tendunt per pontum uastum: quum turbida lympha
Ex-

Exagitata facit tenebras, caligine cæca.
Perculsas capiunt, nam retia rara per orbem
Lino circundant tenui, & maris æquora uerrunt:
Et contis quatiunt undas, strepitumq; refundunt.
Pelamides sonitu pauidæ, subitoq; tumultu
Concussæ celeres ad pendula retia currunt:
Immotæq; manent, ueluti sub tuta receptæ:
Dum uitant strepitum, fato rapiuntur iniquo.
Hi retis tentos uerrunt ad littora funes.
Hæ cernunt longas casses, spirasq; moueri
Occulte, pauitantq;, globum coguntur in unum.
Piscator rogitat diuos, neu saltet in æquor
Vnica: neu quicquam moueatur retibus amplis. unica. s. pelamis.
Si sola aufugiat, reliquæ labuntur in altum,
Atq; fugam arripiunt: & retia uana relinquunt.
Si fuerint uasti præsentia numina ponti:
Sæpe etiam pisces ad littora sicca trahuntur,
Impliciti maculis, pauidi non retia linquunt.
Ac ueluti doctus cursus agitare ferarum,
Arripit imbelles ceruos in saltibus actos.
Nam totam syluam contorto fune coronat,
Quo uolucrum connectit alas, formidine uana
Cerui prospectant pennas, & cominus ire
Non audent stupidi, donec uenator in illos
Irruit, atq; capit præda ditatus agresti.
Piscandi doctus quidam, pontoq; peritus
In fluctu palmis prendit non arte natantes,
Per madidos fructus, ueluti per littora sicca
Obrepunt pauidi sargi, timidæq; scienæ,
Secessu ponti sargi fluctuq; recondunt
Se timidi, & salsis se complectuntur in undis.
Et spinis (ueluti palis) horrentia terga

Obliqui occultant: ſpinis ualloq; teguntur.
Et ueluti agricolæ circum uineta coaptant
Sepes, & claudunt aditus, neu peruia furi
Vinea, ſed uallo ſeruetur tuta profundo.
Sic nullus ſargis hærebit pectore prompto:
Nec dextram inijciet, rigeant cum tergora denſis
Sentibus, & totus ualido mucrone tegatur.
Aſt aliquis cautus uaſtum ſe mergit in æquor.
Et caput, & caudam ſargi ſpeculatur, & in quas
Partes deuergat, prompto ſub pectore uoluit,
In caput immittens dextram, ſub uertice ſargum
Comprendit, ſtringitq; manu, ſpinasq; tremendas
Vitans: implicitus piſcis, firmusq; reſiſtit.
Nam forti tantum ſpinæ ſub robore fidit.
Piſcator palmis ſuſpendens pronus utriſq;
Aſtutum nauauit opus: piſcemq; repreſſit.
Aſpera ſed poſtquàm pauido ſub corde ſciena
Horrorem ſentit: ſubit in ſpelæa recurua:
Vel quærit luſtrum, uel molles currit ad herbas
Ponti, uel uiles lymphæ ſe claudit in algas.
Contemnit totum latebris abſcondere corpus:
Et caput atq; oculos aliquo ſub tegmine claudens,
Quàm ſtulte credit ſic cætera membra latere.
Non aliter ſylua in denſa caput occulit ater
Bubalus, immanem cernens à fronte leonem:
Quadrupedi inſipido demens cuſtodia curæ.
Nam capite occulto ſperat non poſſe uideri,
A diro donec lanietur dente leonis.
Eſt pecus alatum Libyæ, quod colla repanda
In longum porrecta mouet, ſub pectore uanos
Aſtus molitur, uanaq; eluditur arte,
Sic ſpe fruſtratur piſcis, nam raptor ab alto

Eſt pecus alatũ. Struthionem Ariſt. hanc autem appellat, Plinius Struthiocamelũ compoſito nomine, uterque Aphricam eam eſſe dicit, niſi quod Pli. addit quaſi dubitans, uel æthiopicam. Hanc interpres non abs re pecus alatum uocat, imitatus archetypum ubi legitur, πτερόεν βοτὸν quod nõ in totum auis ſit ſtruthio, imo partim auẽ, partim ut uult Ariſt. quadrupedem refert, unde & bipes ab eodẽ deſcribitur tanquam auis, & biſulcus tanquã quadrupes. Tanta autem ſtoliditate a Plinio eſſe dicitur, ut cũ collum frutice occultauerit, latere ſeſe exiſtimet.

Emergit, piscemq; cauis ex æquore palmis
Attrahit, & cunctis fraudes ostentat inanes.
Tot uarias artes madidis tot piscibus astus
Norunt mortales, & tot meditantur in undis
Exitium, reliqui fato moriuntur eodem.
Retibus & nassis, hamo, iactuq; tridentis,
His capiunt armis pisces, hoc robore perdunt.
Quum Phœbus cœlo meta distabit utraq;,
Vel caput occiduus pronus quum mergit in undis,
Tum domitant pisces, uel primo tempore noctis
Accensa impellunt teda per marmora cymbam,
Occulto perimunt fato sub nocte quietos
Pisces, qui flamma læti uel lumine claro,
Dum circa cymbam collecta examina lumen
Exitiale uident, pereunt mucrone tridentis.
Quinetiam sæuam meditantur piscibus artem,
Atq; parant diram properantia pharmaca mortem,
Et denso iaculo remis, contoq; natantum
Horridulas cogunt acies in concaua ponti
Saxa, uel undisoni subter spælea profundi,
Expanduntq; sinus, & ducunt retia circum,
Vtq; hostes duplici circundant undiq; muro,
Atq; duos miscent panes radice subacta,
(Quam cyclaminon dicunt) candore perunctam
Et pinguem, pisces uastum labuntur in æquor,
Retia prosiliunt, curuos male olentia circum
Pharmaca colliniunt scopulos, temerantq; latebras,
Et maculant fluctus, & post ad littora cursum
Cum cymba reuocant, latebras dispersa per omnes
Pharmaca mortiferas diffundunt longius auras.
Et caput atq; oculi caligant, membra uenenis
Nutant, hi scopulis duris latebrisq; pauentes

Pro-

Prosiliunt, infecta magis sunt æquora lata.
Pharmacon æquoreas late penetrauit in undas.
Hi ueluti uino pressi uincuntur odore,
Vndiq; perquirunt, partes uoluuntur in omnes,
Nec locus est expers pestis, pars nulla profundi
Labe caret, fœdum properant uitare periclum,
In laqueos currunt, non est medicina salutis,
Non medicina mali, motis agitantur ab undis,
Et crebro saltu quatiuntur marmore pisces,
Dum pereunt flatu, compellunt æquoris undas,
Hoc etiam illis sæuos sub corde dolores
Excitat. At læti piscantes littore sicco
Immunes pestis rident mala fata natantum,
Expectant, donec tanto sedata tumultu
Aequora tam fœdo late purgentur odore,
Tum sæua educunt letata examina peste.
Ac ueluti hostilem sperant qui a mœnibus urbem
Omnibus insidijs euertere, nulla relinquunt
Consilia, atq; alias astu uertuntur ad artes,
Inficiunt undas, illi intra mœnia celsa
Absumpti tolerant bellum, morbumq; famemq;,
Infectis pereunt indigno funere lymphis:
Atq; replent urbem defuncta cadauera totam:
Sic morte immerita, & Parca rapiuntur iniqua
Pisces letiferis compulsi in fata uenenis.

LIBRI QVARTI FINIS.

☞ ARGVMENTVM QVINTI LIBRI OPPIA ni per Laurentium Lippium Collensem, ad Laurentium Medicem.

IN quinto sternunt cete ductore perempto:
At lamnæ & catuli pereunt dum uincula remi
Prendunt: collectam nodosa in retia prædam
Perturbant, pelluntq́ canes: sed uertice cæso
Occumbunt phocæ: quamquàm impenetrabile telo
Tegmen habent: sole arripitur testudo perusta,
Aut resupinato (luctatur dum mare) tergo.
Et desyderio pueri correptus amanti
Immoritur delphin: uiolant pia numina Thraces:
Delphinum humano generi populantur amicum
Piscandi socium subeuntem munera prædæ.
Purpura corripitur lanas sparsura colore:
Et cædunt spongas prædam (miserabile uisu)
E fundo educunt mutilati corpore toto.

OPPIANI ALIEVTI CON, ID EST, DE PISCIBVS, Laurentio Lippio Collensi interprete Liber quintus.

HInc tibi nosse licet terræ fortissime princeps
Qđ nihil humana intactũ solertia linquit,
Nec ponto obscuro, nec sub tellure parẽte.
Certe aliqs mortale gen9 sub imagine diuũ
Produxit, seduim pręse paruam dedit illi,

Siue ergo Iapeti proles astuta Prometheus
Humanas finxit gentes, simulachra deorum,
Commiscens terram lymphis, & corda perunxit
Plasmate diuino: seu diro sanguine creti
Titanidum: nostrum genus est à numine diuum.
Paremus tantum superis, inuicta ferarum
Agmina prosternunt homines, qui corpore paruo,
Quot uolucres cœlum cursu uel nubila findunt,
Tot capiunt, dirum non uis immensa leonem
Seruat, nec strepitus concussis liberat alis

> Armig. uol. aquilam intelligit. Fera nigra. Elephantus est, quē Op. ita depingit, ἰνδὸν θῆρα κελαινόρρινον, a proboscide, quā ille nasi loco habet, & quidem nigram.

Armigeram uolucrem magni Iouis, & fera nigra
India quam gignit procero corpore uastam,
Imperium patitur mulorum more coacta
Ferre iugum, & plaustri duros perferre labores.
Et quæcunque tenent undas immania cete,
Viribus interimit. Nam monstra horrenda natantum,
Et maiora ferunt undis Neptunia regna,
Quàm quæ gignuntur in terris monstra ferarum.
Testudo in terra est, sed longe uiribus impar,
Et longe inferior dira testudine ponti.
Sunt sicca tellure canes horrore timendi,
Sed nequeunt rabie canibus certare marinis.
Exitiale facit uulnus panthera tremendis
Dentibus in terra, fluctu magis aspera ponti.
Et nimis horrendæ terra uersantur hyenæ,
Sed multo præstant crudeli horrore marinæ.
Est aries terræ mitis, natat æquore uasto
Mitior, ut nequeas hunc assimilare priori.
Et quis uastus aper superabit robore lamnam?
Qui tantum fului præstant uirtute leones,
Quantum sub fluctu fertur præstare Sizena?
Formidant phocas ursi certamine toruas,

Con

Congressi phocis domitantur Marte proteruo.
Talia sub ponto gignuntur monstra ferarum,
His tamen exitium tumidis meditantur in undis
Piscantum imbecille genus, domitantque natantes.
Istorum prædam, & duros cantare labores
Fert animus, mentem nostris aduertite musis
Induperatores placidi pia robora terræ.
Plurima cœruleo sunt cete ingentia ponto,
Quæ uastis membris immensa mole mouentur,
Nec ponti emergunt fluctu, sed pondere pressa
Et nimia grauitate colunt spelæa profunda.
Esuriunt, rabiemque ferunt in pectore ædendi
Indomitam, uentris semper trahit alta uorago.
Quæ mensura cibi, quæ posset copia tanta
Exaturare chaos uentris, uel ora replere?
Alterna pereunt per mutua uulnera morte,
Maiora interimunt semper uirtute minora.
Inter se pastus & uentris grata uoluptas,
Formidant etiam naues, quando obuia cernunt
Talia monstra maris, sulcantes marmor Iberum
Fluctibus Hesperijs, ubi sunt confinia magni
Oceani fluctu deserta ingentia cete,
Voluuntur pigre perituris nauibus æqua.
Sæpe alta errando ueniunt prope littora ponti,
Hic contra expediunt piscantes arma corusca.
Omnia monstra maris, quæ uasta mole mouentur,
Sunt tarda incessu, & nimia grauitate premuntur
Post habitis canibus, non longe immania cete
Cernunt, nec salsas percurrunt æquoris undas.
Pondere magnorum membrorum tarda feruntur,
Et lente æquoreo circumuoluuntur in æstu.
Hac ratione comes cunctis, ductorque uiarum

Musculus est paruus uisu: sed corpore longo:
Et tenui cauda paulo semotus ab illo
Præcedit: monstratq; uiam, ducitq; per æquor.
Hinc piscem uero ductorem nomine dicunt:
Hic comes est monstro gratus, custosq; fidelis,
Qua uelit, hunc sequitur: solo confidit in isto:
Huic fidam seruat mentem: prope porrigit artus
Longos: & caudam facilem prope lumina ducit:
Qua cuncta ostendit, fuerit si præda petenda:
Siue malum immineat: seu sint uitanda propinqua
Huic uada: commota demonstrat singula cauda.
At moles onerosa maris præcepta capessat:
Et multum socio gaudet comitata benigno:
Musculus est custos, auris, lumenq; natantis
Monstri: quo cernit lymphas, quo cuncta tuetur:
Vtq; tueatur uitam: sibi ponit habenas.
Ac ueluti natus confecto ætate parenti
Debitor officij iam præmia iusta rependit:
Debilibus membris, caligantemq; senectam
Luminibus seruans, dextram prætendit eunti,
Et mouet à cano cuncta impedimenta parente.
Sic noua longæui patris sunt robora nati:
Sic piscis pelagi monstrum deducit amore:
Et ueluti clauus tentis moderatur habenis
A uentis nauem magnam, ducitq; per æquor.
Nunquid principio generis sunt sanguine eodem
Creti: uel socium delegit sponte fidelem.
Non tantum uastæ procero in corpore uires
(Ingenium quantum) prosunt: hic roboris expers
Immensum seruat monstrum: uel mittit in orcum:
Paruus homo atq; uafer: postquàm sunt pondere tanto
Cete, ductorem piscem compellit in hamum

Artibus allectum uarijs & fraude reuinctum,
Non ponti monstrum uiuo rectore domares.
Hoc interempto caperes cartamine paruo:
Non uidet obscuras undas, pontiq; meatus:
Obuia non ponti ualet euitare pericla
Exors consilij nullo ductore per undas.
Quo ducunt fluctus, caligine fertur opaca:
Obscuros penetrans tractus, atq; auia ponti.
Nam duce priuatus scopulos & littora præceps
Offendit: tanta caligant lumina nocte.
Tunc animis properant piscantum robora promptis
Ad prædam: & diuos uotis precibusq; fatigant,
Qui præsunt magnis cetis, ut sternere monstrum
Neptuni ualeant, & prædam ducere opimam.
Acueluti insidiæ media sub nocte propinquant
Hostibus occulto, & curis, somnoq; solutas
Excubias arcis nactæ sub Marte quieto
Cædunt, & sternunt custodum corpora passim,
Hinc propere euadunt summa ad uestigia muri,
Audacesq; locant flammas in arce micantes,
Vrbis casuræ signum, torremq; ferentes,
Qui sit robustus iam prensæ malleus arcis.
Sic tunc piscator fortes, ualidasq; cohortes
Educit contra monstrum custode necato.
Primo coniectant pondus molemq; natantis
Piscis, membrorum sunt hæc tibi signa futura.
Si fera Neptuni iactetur uertice ponti,
Et paulo emineat spina uel uertice summo,
Immensum uasto non ferrent corpore monstrum
Aequora. Si dorso summa supereminet unda,
Tunc non tam magnæ designat pondera molis,
Imbecille pecus gressu leuiore mouetur.

Linea multiplici texatur fune reuincta,
Et bene compactis nodis adstricta ligetur:
Se tanta extendens quanta sub naue rudentes:
Quæ non parua nimis, nec possit magna uideri:
Sufficiat prædæ in longum porrecta superbæ,
Et stent alterni mucrones cote politi:
Qui possint scopulos, qui possint findere rupes,
Curuatura doli se circumducat utrinq;:
Obstruat ut uasti spatiosos oris hiatus.
Ferrea per multos orbes connexa catena
Extremum nodis multis deuinciat hamum:
Et quæ pestiferos dentes rictusq; repellat.
Et nodo in medio circli ducantur in orbem
Inter se densi: qui uasta uolumina monstri,
Et spiras uertant rapidas: ut corpore tanto
Erectum nequeat curuatum rumpere ferrum,
Fœda cruentato conquassans ora dolore.
Sed texto implicitum laqueo teneatur utrinq;:
Post tristes curuis æscas defigat in hamis,
Aut iecur aut humerum taurinum pondere tanto:
Rictibus æqualis monstri qui possit haberi.
Piscantes acuunt fortes in bella secures,
Arpas, & gladios magnos, ualidasq; trienas:
Et quæ conflantur duris incudibus arma:
Et cymbam ascendunt, cui sint pulchro ordine transtra.
Si quid opus, nutu designant cuncta loquaci:
Et taciti motu uerrunt lata æquora paruo,
Obseruant posita taciturna silentia lingua:
Et uitant strepitus. Nam si præsenserit artem
Hanc: moles onerosa maris descendit in imas
Vndas: hi uanos frustra subiere labores.
Quum prope commiscent diri certamina Martis:

Arpas. i. falces, ἅρπη enim falx latine dicitur. Trienas. i. tridentes, τρίαινα namque tridens est.

A prora audaces demittunt æra recurua
In pecus immensum pelagi: quod saltat ad æscas
Quam primum uisas, & uentri paret auaro:
Irrumpens fatale malum deprendit in hamo:
Cuius mucrones figuntur gutture lato.
Vulnere terribiles exardet pronus in iras:
Et quassat rictus contra indignatus acerbos:
Et furit, atque gemit uersans sub corde furores
Ardentes: pelagi fundum se uoluit in imum:
Huic piscatores cedunt: funesque remittunt:
Non uires hominis tantam conuellere molem:
Et domitare feram inuitam, contraque trahentem,
Ingens immensam traheret cum remige nauem
Exagitata fera, & fundo demergeret alto:
Funibus annectunt utres uentoque repletos:
Atque feram uersus iaciunt in marmoris undas.
Illa dolore plagæ confecta irrumpit in utres:
Inuitosque trahit cupientes æquora summa.
Postquàm animo fessa est, fundum peruenit in imum,
Stat fera terribilis fluctu, succensa furore:
Et uelut acer equus cursu, summasque labore
Qui nactus metas duris terit ora lupatis
Sanguinea fusus spuma, & defessus anhelat:
Sic fera respirat: cupientem stare sub undis
Hi non permittunt utres, ex æquore summo
Sese tollentes, tumefacti flamine multo.
Tunc aliæ surgunt pugnæ, rictuque minaci
Incassum rapitur rursus, pellentesque trahentes
Oppugnare cupit: quæ emergunt æquore summo
Viuis assimiles: hæc indignata sub undas
Fertur, & in multos conuertit corpora flexus.
Hæ reflue currunt tractæ, pariterque trahuntur:
Et

Et nunc inuite raptæ, nunc sponte trahuntur,
Et ueluti tracta findentes robora serra,
Ambo communi distendunt membra labore,
Et serra nauis properant absoluere transtra,
Vel si quid nautis opus est, contendit uterque
Dentatum duri robur conuellere ferri,
Densati nunquàm mutant uestigia dentes,
Atque secant sonitu celeres, refluique trahuntur.
Talia committscent ponto certamina pisces,
Pellibus inflatis in partes raptus utrasque
Sanguineam eiectat sufflans super æquora sordem,
Atque dolore furens per pontum spirat anhelis
Flatibus, & tanto reboat sub flamine pontus,
Collisæque fremunt undæ, furit æstus in altum,
Difficilem dicas Boream stabulare sub undis.
Sic moles furiosa maris per fluctus anhelat.
Sic densæ circum spiræ sub uertice uasto
Vndas incurrunt altas, scinduntque meatus.
Ac uelut Ionij circum parua hostia ponti
Tyrrheno resonante freto, media aspera porthmi
Voluitur à flatu rupes Typhonis anheli,
Flexibus immensis unda exagitata tumescit,
Et nigra uorticibus refluit distracta Charybdis.
Sic monstri flatu conuoluitur amphitrite.
Scissi tolluntur multo curuamine fluctus.
Tunc aliquis curuam compellit remige cymbam
Ocyus in terram ueniens, atque æris adunci
Funem littoreo uincit prope marmora saxo,
Tanquàm si funem nauis sub caute renectat,
Et subito æquoreas uersus gradiatur ad undas.
Quum iam plectendis monstri satiata cupido
Pellibus, & finem uoluendi terga labore

Fluctus corripitur cõtra naturã

Op-

Oppressus dederit: corda irritata quierint:
Et iactet tumidas fatalia pondera pelles:
Nuncius ut palmæ primus mare prosilit uter,
Piscantum tollens animos in munera prædæ.
Præconem ueluti tristi de Marte regressum
Vestibus indutum niueis, facieq; serena,
Iucundi socij non mœsta fronte sequuntur:
Nunciaq; expectant gesti præconia belli.
Sic piscatores læti, quum nuncius uter
Confestim ex imo fluitat super æquora fundo,
Atq; alij emergunt ponto, qui immania monstri
Terga trahunt, magno rapitur consumpta dolore
Belua, quæ (miserum) torquetur uulnere sæuo.
Tunc piscatores audaci pectore naues
Remis impellunt: fit multus in æquore fragor,
Et multus flatus tanta properante caterua,
Quæ sese magno clamore in bella ciebant.
Dicas horrendi Martis spectare cohortem.
Est tantus strepitus, & pugnæ tanta cupido,
Clangorem exaudit longe de ualle recurua
Pastor uillosas ducens ad pascua capras:
Vel qui ferales abscindit robora pinus:
Vel qui magnarum prosternit terga ferarum:
Attonitus lati uenit prope littora ponti,
Et stans in scopulo turbato prælia fluctu,
Et finem tantæ pugnæ magnumq; laborem
Miratur: rapidus mouet hæc certamina Mauors.
Hic ualidis palmis forti mucrone tridentem
Concutit: iste tenet forti uenabula ferro:
Hic curuam falcem, rapidam uehit ille bipennem.
Omnibus est armata manus, ferroq; ruentes
Cædunt: impelluntq; feram, uel uulnera figunt.

O Ro

Roboris oblitus cymbas in terga ruentes
Euitare nequit piscis; nec pellere iactu,
Alarum extremo fluctus molimine findit:
Remigium ualidas puppes, robur'qꝫ uirorum
Impellit: uelut aduersus quum flamina uentus
In proram uertens aduersas concitat undas:
Atqꝫ in nauali reboat clamore: lacertis
Dum remos quatiunt, & tanto Marte laborant:
Distillant multo fatalia uulnera tabo:
Et fœdant sanie fluctus: aqua sanguine feruet
Effuso: & glauci late rubet æquoris unda.
Ac ueluti torrens brumalis lapsus in alueum
Fluminis undosum: rubro de uertice montis
Sanguineum rapido cœnum conuoluitur æstu
Fluctibus admixtum, late rubet æquoris unda
Pondere sub flauo sanies uelut æquore lato
Apparet: rubro sic mixta est unda fluore,
Confecto telis & multo uulnere monstro:
Sentinæ eijciunt fluctum conamine magno
Letalem, & uasti iaciunt in uulnera ceti:
Qui ueluti plagas ignis succendit hiantes:
Et sicuti æthereis uibratus nubibus ignis
A Ioue cœlesti cædit per marmora euntem.
Hunc missi absumunt ignes, multo magis unda
Aequoris exagitat flammis admixta coruscis.
Sic in difficiles plagas & uulnera iulca
Sentina exhausti fluctus iaciuntur olentes.
Quum domitum plagis piscem, uictumqꝫ dolore
Vestibulum ante ipsum, primoqꝫ in limine mortis
Fata maligna ferunt: tunc sicca ad littora leti
Deuictum uoluunt: trahitur (miserabile uisu)
Inuitus multo corpus mucrone foratus,

Letali nutans fato sub fine grauatus.
Victores læti remis pæana canentes
Festinant: resonat compulso remige pontus:
Ac ueluti quondam nauali Marte dirempto
Extemplo naues uictas, hostesq; trahentes
Subducunt celeres cantantes munera belli,
Remigiumq; mouent lætum pæana canentes:
Victoresq; ferunt dulces ad sydera cantus:
Inuiti tristes capti sub Marte trahuntur.
Sic uastum atq; immane trahunt ad littora monstrum:
Quod quum littoribus curuis, terræq; propinquat
Supremæ infœlix occludit lumina uitæ:
Atq; reluctatur, & fluctus uerberat alis.
Et ueluti uolucris structa collidit in ara:
Quum moritura nigræ capitur uertigine mortis:
Quam cupit æquoreas monstrum remeare sub undas
Robore iam languens, & membra soluta retentans
Diffidit: trahitur grauiter per littus anhelans.
Ac ueluti nauem, cui sunt longo ordine transtra,
Subducunt nautæ: quando instant tempora brumæ
Postea quàm tristi pelagi sudore refecti
Rursus opus ponti repetunt, durosq; labores:
Sic monstrum immensis ducunt ad littora membris,
Quod toto uastos in littore porrigit artus,
(Horrendum uisu) quantum tellure recumbens
Occupat: hoc aliquis misera iam morte peremptum
Et terræ stratum timet: & prope ducere gressum
Formidat, tanto cernens horrore cadauer:
Quamuis defunctum, quamuis sit lumine cassum
Horribilis malæ dentes formidat acutos.
Vix ausi tandem circumducuntur in orbem
Attoniti spectant proiecta cadauera monstri.

Illi admirantur rictu triplici ordine natos.
Terribiles flexos sicuti uenabula dentes.
Ast alij fortis prospectant uulnera ferri:
Hic spinam proræ similem miratur aduncam,
Quæ uallo arrigitur longe per terga tremendo:
Nonnulli caudam spectant, uentremq; capacem:
Hi caput immensum perlustrant lumine toruo:
Atq; aliquis cernens horrendo corpore monstrum
Neptuni, sicca multo tellure uidetur
Maius, quàm tumidis quum uersabatur in undis,
Cunctatus paulò sic est affatus amicos
Haud procul adstantes: & uoce silentia rupit:
Alma parens tellus ego sum tibi charus alumnus,
Per te sum genitus, mihi grata alimenta dedisti:
Atq; perire tuo gremio, cum uenerit hora
Fatalis, liceat, ponti mihi mitia sunto
Aequora: & à sicca liceat tellure litare
Neptuno: nec me salsas tam parua per undas
Ligna ferant, nunquàm uentos & nubila cœli
Explorare uelim, nam sunt satis æquoris undæ,
Difficilesq; maris cursus, duriq; labores
Semper, & horrisonas uentorum audire procellas,
Horrendas etiam metuunt intrare latebras:
In uastos metuunt monstri descendere hiatus:
Vt non composito condantur membra sepulchro:
Congeriemq; mali timeo, tellure quiescam,
Et ualeant sæui fluctus, procul æquoris unda
Sit placata mihi, faueant pia numina ponti.
Tali conficiunt ingentia monstra labore,
Quæ uastos tendunt salsis sub fluctibus artus:
Et præstant alijs oneroso corpore monstris.
Haud labor est tantus, capiuntur si qua minora

In salsis cete lymphis, quanta parantur
Spicula pontigenum membris, hamíq; minores,
Quos non tam magno pastu, nec fune reducunt.
Nam pro distentis corijs & pelle caprina
Sufficiet lato siccata cucurbita uentre:
Et trahet è ponto non magno corpore piscem.
Et lamnæ & catuli piscantibus æquore uasto
Occurrunt, rabieq; trahunt firmissima uincla
Remorum in fluctus, sed multo lamnæ furore
Rictibus irrumpens magno cum robore fertur:
At prensi in circo dentes retinentur adunci
Infixi tanquàm nodis mucrone tridentis.
Haud magno lamnam poteris mactare labore.
Gens furibunda canum inter male olentia cete
Præcipue furiunt in uentrem gutture proni,
Iniuriam faciunt elata mente proterui,
Et nil formidant, ueniant si qua obuia contra.
Sed rabiem sub corde ferunt, posito q; pudore
Impellunt rapidi gripos, nassisq; propinquant,
Perturbant prædam piscantum, seq; saginant.
Hos aliquis pisces àuido sic uentre uoraces
In facilem rapiens prædam forat ære recuruo.
Non hami penetrant phocas, sæuiq; tridentes,
Nam duro claudunt pellis sub tegmine membra.
Sic pisces inter nodosa in retia phocas
Prædones claudunt, celeres ad littora uerrunt
Distinctos maculis laqueos, non retia densa
Hos arcere queunt, discerpunt unguibus atris
Retia, & auxilium perituris piscibus adsunt.
Piscantes multo turbati corda dolore,
In terram phocas compellunt impete uasto.
Hic hastam & fortem clauam, ualidumq; tridentem

Gripos per i latinum retia, per y uero, cum qui est naso adunco significat.

In caput incutiunt, & circum tempora pulsant.
Nam subita pereunt capitis per uulnera morte.
Quin & testudo piscantibus obuia damnum
Afferet, optatæ perturbans munera prædæ.
Haud labor audaci posito post terga timore,
Surripere è ponto duro sub cortice tectam.
Si quis se mergat lymphis, uertatq; supinam:
Et quamuis cupiat fatum uitare supremum:
Non ualet, & summo leuiter luctatur in æstu,
Atq; inuersa supra pedibus desyderat undas.
Prædones rident, quum mactant cuspide uersam,
Vel quando euellunt torto sub fune reuinctam.
Et ueluti insulsus errans in montibus altis
Forte puer, terræ curua testudine capta:
Ponit humi inuersam maculosa in terga iacentem.
Hæc reuoluta cubans terram calcare uirentem
Affectat, leuiterq; pedes & genua labore
Curua mouet, crebroq; salit: ridentq; uidentes.
Sic lato fertur ponto testudo marina,
Et resupinatum uoluit super æquora tergum:
Et curuum lædunt piscantes per freta monstrum,
In siccam arripitur terram, quum terga perustam
A solis radijs uersant, uoluuntq; per æstus
Inualidam summas pedibus contingere lymphas
Optantem: & frustra fluitantem marmore uasto.
Delphinum infœlix fugienda est æquore præda,
Nam qui delphinis sacris meditabitur atrum
Exitium non ille deis per sacra litabit:
Non aræ acceptus puros imponet honores,
Totum incestabit tectum, & qui tecta frequentant.
Et quantum cædes odit regnator aquarum
Humanas, tantum delphini fata perosus.

Humano generi similis prudentia fertur:
Et Iouis undisoni seruis capiuntur amore,
Collectiq́ simul pisces socia agmina iungunt:
Et sibi conciliant homines, prædamq́ capessunt
Communem, atq́ dolo in pisces armantur eodem.
Fluctibus ægeis, & celsa in chalcide prædam
Piscator fallit, quum uesper claudit olympum
Aenea subfuscum lumen claudente laterna.
Delphines mortem properant dare piscibus atram
Ast illi errando magno dant terga pauore,
Hi contra pisces pellunt à fluctibus imis,
Inuisum in littus cupientes æquore labi.
Sic manus inuerecunda canum latratibus urget,
Impellitq́ feram uenantibus impete uasto.
Interram pulsos cædit mucrone tridentis
Piscator, facilem captans de littore prædam.
Nulla fuga est miseris, quando tellure necantur,
Atq́ à delphinis pelluntur marmore lato.
Sed postquàm fœlix piscantum præda peracta,
Mercedem iusti repetunt certaminis æquam
Concordis pugnæ partem, meritumq́ laboris
Suscipiunt homines in prædæ parte libenter.
Delphinos si qui fraudant mercede proterue,
Non post auxilio uanis piscantibus adsunt.
Lesbius Arion uectus delphine recuruo
Impauidus tumidas sulcauit marmoris undas,
Et cantu euasit mortem, fraudesq́ latronum
Thenariæ appulsus prope littora grata laconum.
Forte aliquis Libyci pueri cognouit amores,
Dum ducit simas per pascua læta capellas.
Feruenti delphin puerum complexus amore,
Gaudebatq́ simul ludo calamisq́ sonoris.

Hunc

Seruis, id est, ministris & uatibus nam προπόλοισ ministrum, seruum, æditum & prophetam significat.

In Aenea contra naturam ultimã syllabam produxit, quia ablat.

Hunc pastorali mulcebat fistula cantu,
Atq; greges inter uersabat lubrica membra,
A ponto ad syluas (mirum) ueniebat opacas.
Nunc etiam pueri notos bene noscit amores
Aeolis, haud uetus est sed nostro tempore factum,
Nam delphis pueri miro succensus amore
Insulæ inhærebat semper, portumq; tenebat,
Vt ciuis, socijs sese disiungere charis
Non animo fuerat, grato uelut incola portu
A cunis catulus pueri sub moribus infans,
Eductusq; simul fuerat iucundus alumnus.
Sed quum florentis peregerunt tempora pubis,
Etiam robusto creuerunt corpore uires,
Hic inter iuuenes clarus uiget æquore delphin.
Tum mirum uisu factum, & mirabile dictu,
Externas pariter gentes ciuesq; mouebat
Multos uicinos acciuit fama sodales,
Vt uideant iuuenem curuum delphina colentem,
Versantemq; simul, multi per littora cœtus
Inq; dies uisunt tanti miracula facti.
At puer ascendit cymbam, portumq; per omnem
Nomine compellans solito delphina recuruum,
Quo fuerat paruus notus, uolat ille sagitta
Ocyor, & iuueni charo, cymbæq; propinquat
Dilectæ superis, cauda blanditur amica
Et capite elatus iuuenem tractare benignum
Concupit, hic manibus piscem demulcet amicum,
Et tenet amplexu, grata cupit ille carina
Vectari iuuenis, sed quum prope ludit in undis
Pone natat piscis blandus, sequiturq; natantem,
Et latus adiungit lateri, mento quoq; mentum:
Et caput inclinat capiti, uelut oscula carpat.

Tu

Tu dicas cupidum pectus cum pectore uelle
Iungere, tam magno puerum prope nabat amore.
Sed quum clamatus delphin stat littora iuxta,
Demulcetq; caput iuuenis, dorsumq; natantis
Insilit: exceptum piscis quocumq; iubebat
Vectabat puerum: lætus iubet ire per altum,
Obsequitur: portus gestit sulcare patentes,
Per portum uehitur, cupiat si littora iuxta,
Annuit, & chari pueri præcepta capessit.
Mollis equus flexis non tantum paret habenis:
Nec canis assuetus tantum uenantibus audit,
Quantum nec freno delphin nec tractus habenis
Vadit subiectus, pueri quocumq; uoluntas
Imperat, haud solum uehit hunc, uerumq; sodales
Admittit quoscunq; iubet, nullumq; laborem
Effugit, ut pueri chari conseruet amorem:
Tali uiuenti delphin gaudebat amico.
Non tantum serui domini præcepta capessunt,
Atq; opus efficiunt commissum sponte uocati,
Quantum delphinus iuueni parebat amico.
At postq; iuuenis uitæ sua fata peregit,
Ploranti similis delphin prope littora fertur,
Aequæuum puerum quærens, audire gementis
Tu posses uoces, effundit pectore luctus
Tantos, non aliqua clamatus uoce mouetur,
Amplius oblatas tristis non accipit æscas,
Non exauditus ponto, nec littore in illo
Amplius est uisus, pueri iam morte perempti
Est desyderio delphin consumptus amoris,
Iam cum defuncto properans occumbere amico.
Quamuis delphini conseruent pignus amoris,
Quamuis sint homini concordi fœdere iuncti,

Crudeles Thraces, uel qui Bizantis in urbe
Degunt: tam mites capientes mente feroci
Delphinas, charis natis canoq́ parenti
Ignouisse queunt, uel dulci parcere fratri
Possunt, inuisam capiunt sic æquore prædam.
Efferam matrem sectantur pone gemelli
Mollibus assimiles pueris: Thrax durus in istos
Armatur celeri cymba, & defertur in æquor
Infaustam quærens prædam, qui forte uidentes
Armatam contra celerem concurrere cymbam,
Impauidi expectant, nec fraudem corde uerentur,
Non hominum insidias, non ulla pericula ab illis:
Applaudunt sicuti socijs, gaudentq́ periclo:
Hi celeres properant, cæduntq́ tricuspide telo
Quod dicunt acidem telum letale natanti.
Delphinum iuuenem, plaga qui tortus acerba,
Suspirans imas sese demersit in undas:
Viribus enixi non illum educere certant:
Incassum prædam caperent, uanumq́ laborem,
Sed nauem & funem cupienti abscedere laxant:
Festinant remis domitum delphina sequentes.
Quocunq́ incedat demittunt uincla natanti.
At postquàm multo confectus membra dolore
Langueat, & duro ferri mucrone foratus.
Iam tabescentis emergunt fortia membra,
Et iam defessus leuibus uersatur ab undis.
Supremum spirans mater non deserit unquàm:
Sed suspirantem sequitur, miserecq́ dolentem.
Ipsa etiam tristes alto sub corde dolores
Voluens: tu dicas mœstam plorare parentem:
Quum capti nati direpta ex urbe trahuntur
Hostibus in prædam diro certamine Martis.

Sic

Sic dulcem natum confossum uulnere plorat,
Tanquàm infixa parens ferro langueret acuto.
Qui superest, natum mater dimittit, & illa
Non iubet ire uia, longe pellitq; fugatq;.
Heu fuge nate genus nobis hostile uirorum
Non socium: uenantur enim nos cuspide ferri:
Et iam delphinis indicunt Martia bella.
Concordi uiolant inter nos fœdera dextra
Percussa: & superos in fœdera firma uocatos.
Non habitura sonum natis hæc uerba locuta
Vnus natorum longe est à matre fugatus:
Alter contortus letali peste parentem
Torquet: nam pœna mater cruciatur eadem,
Et sequitur natum charum, nec deserit unquàm,
Non longe à cymba possunt arcere parentem.
Non si percutiant miseram, quatiantq; timore:
Cum nato trahitur charo mœstissima mater.
Vt subit hostilem uenanti proxima dextram,
Hostes crudeles non flectunt ferrea corda:
Et mœstam rapiunt matrem mucrone tridentis.
Filius & genitrix fato rapiuntur eodem,
Non inuita subit in nati funere mortem,
Et spectat sentitq; libens sua uulnera mater.
Et ueluti serpens qui tigno nactus ab alto
Alitis est uernæ pullos sub tecta sonantes:
Mactat, & occisos subijcit sub dentibus artus.
At mater primo grauiter tristata mouetur.
Effundens tristes natorum in funere questus:
Sed postquàm laceros pullos absumptaq; membra
Spectat: non mortem uitans subit ora draconis
Voluitur, & dulcis comitatur funera partus.
Sic festinauit delphini in funere mater,

Sub hic per Pleonasmum abundat.

Ad mortem diris piſcantibus obuia facta.
Gentes quæ duro clauduntur tegmine teſtæ,
Quæ ſerpunt ponto, quum Luna impleuerit orbem,
Fama refert proprio plenas pingueſcere tecto.
Sed quum multiuagæ decreſcunt cornua Lunæ
Diminui graciles: tali ſunt lege coactæ.
Iſtarum partem piſcator colligit altis
Fluctibus: & fulua manibus comprendit harena:
Et partim innatas ſcopulis diſcerpit: at illas
Vndantes iaciunt turbati ad littora fluctus,
Vel in cœnoſas mittunt, pelluntq; lacunas.
Aſt alias inter narratur uentre rapaci
Purpura, quæ tali piſcantis fallitur arte.
Sunt ſimiles calathis connexæ uimine denſo
Iuncorum naſſæ, ſtrombos in uimina mittunt,
Vel piſces duro tectos ſub tegmine teſtæ:
Per thalamum calathi linguam dimittit acutam:
Quæ gracilis texto naſſæ ſub uimine gliſcens
Tenſa cibum, duros heu prendit lingua ſopores,
Iuncis fixa tumet, & denſo uimine ciſtæ
Arctior efficitur lingua, e curuamine texto
Non remeare poteſt, ſed ſtat cruciata dolore,
Purpureo capitur ueſtes ſparſura colore.
Durius haud ullum ponto certamen ineſſe,
Nec magis infauſtum, quàm ſpongas cedere raras,
Fama refert: primo curam potiq; cibiq;
Accipiunt: molli nec ſomno membra reſoluunt:
Vt piſcatores alij: quum promptus in undis
Se totum accingit duros perferre labores.
Non aliter dulcis uenit in certamina cantus
Et uoce & cythara Phœbeo munere doctus:
Omnes obſeruant geſtus, omniſq; uenuſtas

Gentes. Teſtaceũ genus piſcium deſcribit, quæ Op. ἔθνεα ὀστρακόρινα uocat a tegumento teſtaceo, nomine compoſito ἀπὸ τοῦ ὀστράκον, quod teſtam ſignificat & ῥινὸν, quod pellem & ſcutum Ariſt. uocat ea ὀστρακόδερμα a cute ſiue pelle teſtacea.

Strombos. i. cochleas uel conchulas.

Spongas pro ſpongias.

Eſt curæ, ut dulces canat in certamine uerſus.
Sic iſti obſeruant fundi ſub marmor ituri:
Continuo ut teneant flatus, durentq; ſub undis.
Sunt primo experti, cum reſpirare labore
Contigerit pelagi: quid poſſint æquore in alto:
Sed quum tam magno ſubeunt diſcrimine pontum:
Hi precibus diuos, qui regnant æquore in imo
Orant, ut liceat uitare ingentia cete:
Et quæ cœruleo naſcuntur noxia ponto.
Si uideant piſcem pelago cognomine ſacrum:
Tunc animos ſoluunt: non illo gurgite cete,
Noxia magnarum non cætera monſtra ferarum
Apparent: fluctus gaudent tranare ſalubres.
Et puros: ideo ſacrum dixere priores
Piſcem: quo uiſo gaudent, properantq; laborem.
Tunc hominem medijs accingunt ilibus aptum
Funibus intortis: palmas qui tollit utraſq;,
Et ponderoſum plumbum gerit ille ſiniſtra:
Arpam dextra tenet: niueum uehit ore liquorem.
Stat celſa in prora, fluctus ſpeculatur in imos:
Et uaſtum pontum, & tantos ſub mente labores
Euoluit: ſocij uerbis hortantur amicis:
Atq; animant ueluti erumpentem carcere promptum
Curſorem, & firmus cum ſub diſcrimine tanto
Eſt animus, magno depreſſus pondere plumbi
Liuentis: fluctus quum raptim fertur ad imos:
Lymphis palladium fuſcis diffundit oliuum:
Quod lucet, totis late quum ſpargitur undis.
Ac uelut obſcura flammæ ſub nocte refulgent.
Infixas ſcopulis ſpongas proſpectat acutis:
Inter ſe iunctæ naſcuntur caute uirenti.
Irrumpens ſpongas uibrata falce recidit,

Vt messor: rumpitq; moras, funeq; sodales
Admonet: ut fundo subito retrahatur ab imo.
A spongis cæsis tetrum quæ spirat odorem,
Distillat sanies, hominis quæ naribus hæret,
Et sæpe extinguit, & tabo suffocat atro:
Ocyor hinc dicto tumidis emergit ab undis.
Tu lætus mœstusq; simul miserabere fessos
Artus, & tanto confectum membra labore:
Languida sub tanto sunt crura soluta timore.
Inuisam & diram nactus sub marmore prædam,
Nam miser (ah) fundo dum se demergit in imo:
Offendit monstrum ingens, & funibus altum
Concussit, socios miseranda in fata uocauit,
Vt sese traherent: illi (miserabile uisu)
Truncatum & lacerum corpus sub dentibus atris
Educunt ponto, & linquunt immania cete,
A quibus est socius mutilatus dente proteruo:
Destituuntq; maris tractus, pestemq; locorum:
In terram adducunt mœsti miserabile corpus,
Relliquias plorant, socio tristantur adempto.

Tot princeps generose maris narrauimus artes.

Perorario operis

Illæsæ placidas percurrant æquoris undas
Naues, & uentis tumeant tua uela secundis,
Exundet uastum semper tibi piscibus æquor.
Inconcussa soli seruet radicibus imis
Fundamenta tenens subter regnator aquarum.

FINIS LIBRORVM
quinq; Oppiani de piscibus.

Di-

☞DISTICHA LAVRENTII LIPPII COLLENSIS AD magnificum uirum Laurentium Medicen Florentinum.

Ad Laurentium Medicen.

FAstidit magnus numerosa uolumina lector,
Post cœnam læta disticha fronte legit.

Ad eundem.

Hic te surripuit patriæ qui syrmata misit,
Lemmata qui misit, restituit patriæ.

Ad eundem.

Post patrias curas, post tanta negocia, si fas,
Percurras oculis disticha pauca tuis.

Ad Angelum Siculum de Zacharo.

Aurea iactatis si cedere sæcula uobis,
Quid mirum? e cannis dulcia mella fluunt.

De Lactuca ad eundem.

Surgentem Venerem mollis lactuca moratur,
Deuoret erucas, qui cupit esse salax.

Lactuca loquitur.

Augustus per me releuat fastidia morbi,
Et lactucinos Roma togata uocat.

De Rapo.

Sub pruna tostum mensis apponere rapum
Non pudeat, tetrico sic placuit Curio.

Ficus Aphricana loquitur.

Sum ficus Libyæ, per me Carthago superba
Corruit, & per me tanta ruina fuit.

Faba

Faba loquitur.

Sum faba, si docti me damnant Pythagorei,
At magnis Fabijs nomina tanta dedi.

Porrum loquitur.

Sum porrum, ualui uocem seruare Neronis,
Inq; palatinis me numera dapibus.

De cucumere.

Hic tibi sit cucumis, terris dum Syrius ardet,
Tales Tyberius dicitur esse dapes.

Ad Angelum Siculum de carduo.

Carduus in sicula mensa, quem linquit asellus
Ponitur, I siculas Angele tolle dapes.

De allio.

Radicem betæ comedas super igne perustam,
Non animam reddent allia sumpta grauem.

De cauliculis.

Cauliculos teneros, si te delectat Apici
Præceptum, uerno tempore carpe puer.

De Betis.

Betis Niliacam poteris confundere lentem,
Ventosam betis (si sapis) adde fabam.

De Mintha herba.

Nunc est herba uirens, quondam formosa puella
Creditur, & stygium detinuisse Iouem.

Mintha loquitur.

Non essent uobis minthæ redolentia phylla,
Ni Pluto ad stygias me rapuisset aquas.

De rosa alba facta purpurea.

Per syluas Cytherea suum dum plorat Adonim:
Purpureas fecit sanguine mœsta rosas.

Quomodo inuentum tingere
uestes purpura.

Murice consumpto canis ora infecta notauit
Alcides: Tyriæ uellera tinxit ouis.

De Ocimo.

Ambrosium quamquam spirabunt ocyma odorem,
At cibus ambrosio dirus odore latet.

De Cicuta.

Rustice letiferam moneo uitare cicutam:
Sustulit Actæum dira cicuta senem. .i. Socratem

Iacyntus loquitur.

Aut puer, aut quondam fueram fortissimus heros:
Nunc flos, & mœstum littera nomen habet.

De Moly flore.

Accipias moly (magno si credis Homero)
Nec lædent animum Thessala philtra tuum.

De Loto.

Heu fugias loton: captos dulcedine loti
Naricium socios destituisse ferunt.

De Cocco, quo adulteratur purpura.

Dant Galatæ cocci gramen pro murice nobis,
Corrupta est cocco purpura galatio.

De Cythiso.

Carpant lasciuæ cythysum per prata capellæ:
Sic pastæ referent ubera tenta domum.

De dictamno herba.

Collige dictamnon cretæa prouidus Ida:
Tela cadent humeris irrita facta tuis.

De Lauro.

Missa triumphalem non tangunt fulmina laurum,
Cingant belligeri tempora læta duces.

Ad Elisæum coquum.

Pectore anas, teneris alis gallina probatur:
Anseris his tumidum (si sapis) adde iecur.

Ad Elisæum coquũ de conficiendo sapore ex herbis.

Serpillum, betas, sampsucum tundis aceto:
Cum tostis micis adde selina thymum.

Ad eundem.

Sume apium, porrum, coriandrum, semen anethi:
Cum sale iunge oleum: scorpio sic coquitur.

Ad Angelum Siculum.

Est satis, ut nostris ponantur oluscula mensis,
Ambrosias habeat mensa Sicana dapes.

Ad eundem de hortulo posito in fenestra.

Hortus detineat lati tibi iugera campi:
In nostro sedem uix ityphallus habet.

Ad eundem de eodem horto.

Pensilis extollant horti miracula gentes:
Fornice sub nostro pensilis hortus erit.

De palma.

Pondere non premitur, sed sursum palma resurgit:
Hinc sibi uictores signa superba petunt.

Ad Angelum de lalisione fœtu onagri.

Angele: non Libyci capiat me fœtus onagri,
Hortus natiuas det mihi delitias.

Ficedula loquitur.

Quum me ficus alat, proprium est ficedula nomen:
Sumq; Melanchoryphus: quod mihi fuscus apex.

Fiber loquitur.

Pro chara cupio testes abscindere uita:
Ne pereat, nimium nauita iactat onus.

De Elephanto.

Quis tollet superos, quis numina sancta negabit,
Quum fera perpetuos sentiat esse deos?

Elephantus loquitur.

Non satis, armatas ꝙ porto in bella phalanges,

Men-

Mensaq; nectareas fulcit eburna dapes.
Fulcra toris, simulachra Ioui do, numen adoro:
Et mandit callum turba proterua meum.

Aquila loquitur.

Portaui puerum, qui miscet uina tonanti,
Ob meritum in me fulmina nulla ruunt.

Aquila loquitur.

Sola queo Phœbi radios spectare nitentes:
Non aciem frangunt lumina clara meam.

De ceruo.

Viuacem admittant tua si conuiuia ceruum:
Pestiferam febrem non timuisse licet.

De amore Iouis cum plurimis puellis.

Fit cycnus, taurus, satyrus, fit Iuppiter aurum:
Pro Leda, Europaq;, Antiopa Danae.

De amore plurimorum.

Gradiuus: Bacchus: Lynceus: Vulcanus amauit
Asteropem: Cressam: Nyctiopem: Venerem.

Proteus Carpathius uates.

Flamma, leo, taurus, porcus, bos, fit lupus, unda:
Nec rupit uates uincula carpathius.

Historia Troiæ.

Phryx ardet: dat uela: Helenam rapit: armat Atrides,
Pugnatur: flammis pergama uicta ruunt.

De corona triumphali.

Texuit auratam melior fortuna coronam:
Nam prius ex lauro texta corona fuit.

De obsidionali.

Ob sessam Pœno seruauit milite Romam
Quintus, natiuo gramine serta tulit.

Ciuica corona.

Tullius extinxit nascentia fulmina belli:

Et data sunt merito ciuica serta duci.

De castrensi & nauali corona.

Conscendit qui castra prior, uolucremq; carinam:
Gestabit comptis aurea serta comis.

De corona ouali.

Ibat ouans Crassus contemptos uicerat hostes:
Contempta à magno mirtea dona uiro:

De Mirrhinis uasis.

Mirrhina purpureo candent distincta colore:
Densatur spissus sole cadente liquor.

De Mirrhinis.

Mirrhina diuersis maculis uariata probantur:
Talis uenturis imbrifer arcus aquis.

De Crystallo.

Crystalla argiuo de nomine iure uocata,
Concreta in magno frigore format aqua.

De simulachro Iouis facto à Phidia.

Phidiacæ finxere manus Iouis ora: rogatus
Exemplar, talem finxit Homerus ait.

Ad Laurentium Medicem.

Pyrgoteles gemma sculpsit, sed pinxit Appelles
Pelæum iuuenem: quis tibi pictor erit?

De certamine Zeusis & Parrhasij.

Fallit aues Zeusis, Zeusis deluditur arte
Parrhasij: uolucres hic capit, ille uirum.

De Coralio ad Petrum.

Qui molli longe lato uiret æquore frutex:
Eductus duro cortice Petre rubet.

De Lyncurio.

Quid sit lyncurium, uerbi iunctura docebit:
Vrinam lynci nomina iuncta sonant.

De Electro.

Nunc alni, quondam fratrem luxere sorores:
E lachrymis stillant semper electa pijs.
De Succino.
Lucida delitijs est succina gemma puellæ:
Arbore germana succina gemma fluit.
De Adamante.
Non adamas flammis, nec dura incude domatur:
Laurenti hircino sanguine conteritur.
De Iaspide.
Tu magno in populo facundo pectore dices,
Quum digitis iunctus pulcher Iaspis erit.
Ad Bernardinum theologum.
Quantula sunt hominum corpuscula, tantula rodit
Sarcophagus: molles heu fuge delitias.
De Chernite lapide pio, & sarcophago impio.
Chernites pius est, defunctaq; corpora seruat:
Impius absumit corpora sarcophagus.
Echeneis, quæ remora latine dicitur, loquitur in hoc tetrastico.
Pellebant uelis, pellebant remige nauem:
Ventus erat: cœptum sum remoratus iter.
Solus ego Acciacam potui retinere carinam:
Et potui Cai rostra tenere ducis.
Semipedalis ego: quis hæc corpuscula credat
In cursu tantas detinuisse rates?
Nautilus piscis loquitur.
Per freta dum cautus deducor imagine nauis:
Aesonides didicit ducere uela ratis.
De delphino.
Mulcetur cythera delphin: mulcetur amore:
Testes stelligeri sydera clara poli.
De Torpedine pisce ad Angelum.

Angele (quis credat) fœda torpedine tacta,
Contractas perhibent obriguisse manus.

De phoca uitulo marino.

Carpe soporiferam pennam, pellemq; rigentem,
Iam dormi, & nusq; fulmina torta time.

Sepia piscis loquitur.

Atrum purpureo pro sanguine fundo liquorem:
Deuoror, & nostro sanguine cartha madet.

De Polypo.

Paciferam Polypus cupide corrodit oliuam:
Atq; pedes brumæ tempore segnis edit.

Lucerna piscis loquitur.

Est Lucerna mihi nomen, quod lingua refulget:
Si noctu aspicias lumina uera putes.

De Trigone seu pastinaca.

Pestifer à cauda mucro se tendit acuta:
Hoc Ithacum narrant occubuisse malo.

Dactylus piscis.

Dactylus illustrat radianti lumine pontum,
Appositus mensæ, lumine mensa nitet.

De Echinno.

Imbres & uentos cautus præsagit echinnus,
Et nutans paruo pondere sistit onus.

Loquitur echinnus.

Spicula me uoluunt totum defixa per orbem:
Sed liquor in fracto cortice gratus erit.

Rana loquitur.

Dum caro deformis, poteras dixisse gyrinum,
Mox formata magis garrula rana uocor.

Thynnus loquitur.

Quum fueram fœtus, primo cordyla uocabar:
Post ego pelamis, post ego thynnus eram.

Squa-

Squatina piſcis loquitur.

Non ſatis eſt, noſtri quod mandunt membra guloſi,
Et niueum tergit aſpera pellis ebur.

Ad Angelum Siculum.

Te lupus Ethruſci delectat uernula Tybris:
At mihi murenam Sicilis unda ferat.

Ad eundem.

Angele memphiticis tibi ſit coracinus ab undis:
Arnus millenos dat mihi piſciculos.

Scorpius piſcis loquitur.

Exagito ſtimulis magnum delphina recuruis:
Quem cogo magnas deſiluiſſe rates.

Accipenſer loquitur.

Infœlix, quod me menſæ coluere priores:
Nunc fœlix, ꝙ ſum gratia nulla gulæ.

De Scaro piſce.

Laudabunt menſæ ſcarum, ꝙ ruminat herbas:
Nec proprium gaudet dilaniare genus.

Scarus piſcis loquitur.

Quondam carpathij fueram pius incola ponti:
Nunc ſum campanis incola littoribus.

Scarus piſcis loquitur.

Si cibus herba mihi: ſi ſparſi ſanguine nunquam
Dentes: cur laceras menſa guloſa pium?

De Siluro.

Appetit omne animal graſſator dente ſilurus:
Et ſumma nantes per freta mergit equos.

Scombrus loquitur.

Sulphureus uideor liquidis cum cernor in undis:
Extra undam adparent ſquamea terga mihi.

Mugil piſcis loquitur.

Quum caput eſt tectum, credo mea membra latere:

Per

Per Venerem præda fœmina uirq; sumus.

Mullus piscis.

Vix duo sum pondo, lautæ sed gloria mensæ:
Crispinus pro me milia multa dedit.

Salpa obscœnus loquitur.

Salpa obscœnus ego dicor, nec decoquor unquàm:
Ni ferula cædens uerbera multa dabis.

Mena piscis loquitur.

Candidulus brumæ sum tempore: sole calente,
Ostendam uobis squamea terga niger.

Draco piscis loquitur.

Sum draco: de media surgunt mihi cornua fronte:
Sæpe uides rostris antra cauata meis.

De Ariete pisce.

Cornu aries pugnax pisces speculatur euntes:
Squamigerum perdunt cornua sæua genus.

Vrtica.

Postquàm pisciculos passa sub fronde recepit:
Corrugat frondes, pisciculosq; uorat.

Spongia piscis.

Incrementa mihi, & sensum natura parauit,
Nam paruas conchas, pisciculosq; uoro.

De Lolligine, miluo & hirundine piscibus.

Lolligo, miluusq; rapax, & mitis hirundo,
Vt celeres uolucres, per freta summa uolant.

De Cancris.

Vere nouis renouant cancri sua tergora crustis:
Exuuijs positis læta iuuenta redit.

De Lepore pisce.

Adducit uomitum tactu lepus: hanc fuge pestem
Laurenti: secum dira uenena gerit.

Stella piscis loquitur.

Sum

Sum similis stellæ candenti feruidus igne:
Vruntur callis omnia tacta meis.

De locusta inimica polypi.

Formidat tantum polypum miseranda locusta:
Aspectu ut polypi læsa repente cadat.

De Cochlea.

Contrahit, exertat parua cornicula fronte:
Et nuda ingreditur, contegitur[que] domo.

FINIS DISTICHOrum Laurentij Lippij Collensis.

LAVRENTIVS PETRO Carbonello Hispano Regis Secretario.

NOn arcere meos intra uiuaria pisces
Possum: cœruleis iam spatiantur aquis.
Non satis est liquidis Arni colludere inundis:
Et Thybridis Tusco dissiluisse uado.
Non satis Adriaci tentare pericula ponti:
Et qua Tyrrheni labitur unda maris.
Oceani refluos capitis sulcare meatus:
Et Gaditanis repere litoribus.
Quærite Barchinonem musis bello[que] superbam:
Si licet in sicca ponere corpus humo.
Petrus reptantes fulua spectabit harena,
Demulcens blanda lubrica terga manu.
Gaudebit madidas pelagi lustrare cohortes:
Et sparsos toto gurgite pisciculos.
Aegeos dicet pisces per marmor Iberum:
Lippius antiquam duxit in Hesperiam.

PHILIPPVS POSCVS ad Laurentium Lippium musarum amicum.

EXprimis Oppianum facundo carmine Lippi:
Fidus es interpres, gratus es eloquio.
Es facilis, nitidus, & qui caret indice lector:
Deneget alterius carmen ab ore flui.
Quodq; magis Grais quod fontibus haustum est,
Non fluit in Latio flumine deterius.
Castigata satis sunt carmina, parce lituris:
Carpendum tetricus nil Probus inueniet.
Non obtrectator poterit, non inuida turba:
Non poterit librum carpere liuor ædax.
Vt sumat Laurens latijs alieutica uerbis:
Festina; Medicen iam labor iste decet.

FINIS.

C. PLINII SECVNDI NATVRALIS HISTORIÆ Liber Nonus.

De aquatilium natura. Caput I.

ANIMALIVM QVAE TERrestria appellauimus, hominum quadam consortione degentia, indicata natura est, ex reliqs, minimas esse uolucres conuenit, quamobrem prius equorum, amnium, stagnorũq; dicentur.

Quæ in mari maxima animalia. Cap. II.

SVnt autem compluria in ijs maiora etiã terrestribus. Caussa euidens humoris luxuria. Alia sors alitũ, quibus uita pendentibus. In mari autẽ tam late supino, mollicq; ac fertili accremento accipiente caussas genitales e sublimi, semper'que pariente Natura, plæraque etiam monstrifica reperiuntur, perplexis, & in semet aliter atq; aliter nunc flatu, nunc fluctu conuolutis seminibus atq; principijs: ut uera fiat uulgi opinio, quicquid nascatur in parte naturæ ulla, & in mari esse, præterque multa, quæ nusq; alibi. Rerum quidem non solum animalium simulacra inesse, licet intelligere intuentibus uuam, gladium, serras, cucumim, uero & colore & odore similem. Quo minus miremur equorum capita in tã paruis eminere cochleis.

De Indici maris beluis. Caput III.

PLurima autem & maxima in Indico mari animalia, e quibus Balenæ quaternum iugerum, pristes ducentum cubitorum. Quippe ubi locustæ quaterna cubita

Accremento. s. ipso, ut sit sensus, In mari tam late supino mollique ac fertili, ipso. s. accremento caussas genitales accipiente. Hinc Aristo. lib. 6. Anim. cap. 17. inquit, Profecto omne genus piscium celeriter adolescit, & præcipue in põto, quippe cum ibi incrementum singulis diebus plane intelligatur. Fertili igitur propter accremẽtum dixit.

uuam &c. sunt in mari pisces qui harũ rerũ similitudinẽ referunt, unde & nomen acceperunt.

impleant: Anguillæ quoque in Gange amne tricenos pe-des. Sed in mari beluæ circa solstitia maxime uisuntur. Tunc illic ruunt turbines, tunc imbres, tunc deiectæ mõtium iugis procellę ab imo uertunt maria, pulsatasque ex profundo beluas cum fluctibus uoluunt, & alias tanta Thynnorum multitudine, ut Magni Alexandri classis haud alio modo, quam hostium acie obuia, contrarium agmen aduersa fronte direxerit, aliter sparsis non erat euadere. Non uoce, non sonitu, non ictu, sed fragore terrentur, nec nisi ruina turbãtur. Cadara appellatur rubri maris peninsula ingẽs, huius obiectu uastus efficitur sinus xij. dierum & noctium remigio enauigatus Ptolomeo regi, quando nullius auræ recipit afflatum. Huius loci quiete præcipua ad immobilem magnitudinem beluæ adolescunt. Gedrosi, qui Arbin amnem accolunt, Alexandri Magni classium præfecto prodidere, in domibus fores e maxillis beluarum facere, ossibus tecta contignare, ex quibus multa quadragenum cubitorum longitudinis reperta. Exeunt & pecori similes beluæ ibi in terram, pastæque radices fruticum remeant, & quædã equorum, asinorum, taurorum capitibus, quæ depascuntur sata. capitibus equor.. s. similes.

Thynni sunt porci marini

Quæ in quoque oceano maxima. Cap. IIII.

MAximum animal in Indico mari pristes & balena est, in Gallico physeter, ingentis columnę modo se attollens, altioremque nauium uelis diluuiem quandam eructans. In Gaditano oceano arbor in tantum uastis dispansa ramis, ut ex ea caussa fretum nunquam intrasse credatur. Apparent & rotæ appellatæ a similitudine, quaternis distinctæ radijs, modiolos earum oculis duobus utrinque claudentibus.

Physeter, de his Strabo lib. 3. quibus inquit reflantibus nebulosæ cuiusdam columnæ uisio longe cernentibus offertur, unde & nomen ei pisci est inditum ἀπὸ τοῦ φυσᾶν, hoc est, a flando.

Mod. earum. Modiolus cum alias ac proprie lignum illud dicatur in rota

perforatum, per quod axis utrinque transit, cui & radii rotæ infixi ad circū ferentiam usque rotæ extenduntur, quibus curuatura ipsius rotæ fulcitur & innitur, hoc tamen loco modiolos accipere debemus in rota pisce per translationem, similitudine uidelicet sumpta ab eo modiolo qui in rota cōspicitur, quos hic Plin. dicit rotarum piscium oculos duos utrinque claudere, ut qui uice foraminum in ipsis habeantur, imo speciem ueluti foraminum præbeāt: Alioqui patescerent & hic, ut in rotis curruum.

De Tritonum, & Nereidum, & Elephantorum, & arietum marinorum figuris. Caput V.

Tiberio principi nunciauit Olyssiponēsium legatio, ob id missa, uisum auditumq; in quodam specu concha canentem Tritonem, qua noscitur forma. Et Nereidum falsa opinio non est, squamis modo hispido corpore, etiam in quo humanam effigiem habent. Namq; hæc in eodem spectata littore est, cuius morientis etiam gannitum tristem accolæ audiuere longe. Et diuo Augusto legatus Galliç complures in littore apparere exanimes Nereidas scripsit. Authores habeo in equestri ordine splendentes, uisum ab his in Gaditano oceano marinū hominem, toto corpore absoluta similitudine, ascendere nauigia nocturnis temporibus, statimq; degrauari, quas insederit partes, & si diutius permaneat, etiā mergi. Tiberio principi contra Lugdunensis prouinciæ littus insularum, trecentas amplius beluas reciprocans destituit oceanus, mirę uarietatis et magnitudinis, nec pauciores in Santonum littore, interq; reliquas elephantos & arietes, candore tantum cornibus assimilatis, Nereidas uero multas. Turamnius uero prodidit expulsam beluam in Gaditana littora: cuius inter pinnas duas ultimæ caudæ cubita xvi. fuissent, dētes eiusdem cxx. maximi dodrantium mensura, minimi semipedum. Beluæ cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romæ

Dodran. mensu. i. maximi ex dētibus quisque cōtinebat mensurā dodrantis. i. mensuram pedis, minus tertia parte pedis eiusdem.

apportata ex oppido Iudææ Ioppæ, ostendit inter reli-
qua miracula ædilitate sua M. Scaurus, longitudine pe
dum xl. altitudine costarum Indicos elephantos exce-
dente, spinæ crassitudine sesquipedali. .i. crassitu-
dine pedali & dimidia.

De balenis & orcis. Caput VI.

BAlenæ & in nostra maria penetrãt. In Gaditano o-
ceano non ante brumam conspici eas tradunt, con-
di autem ęstatis temporibus in quodam sinu placido &
capaci, mire gaudentes ibi parere. Hoc scire orcas, infe-
stam his beluam, & cuius imago nulla representatione
exprimi possit alia, quàm carnis immensæ dentibus tru
culentæ. Irrumpunt ergo in secreta, ac uitulos earum et
fœtas, uel etiamnum grauidas lancinant morsu, incur-
suq; ceu Liburnicarum rostris fodiunt. Illæ ad flexum
immobiles, ad repugnandum inertes, & pondere suo o-
neratæ, tunc quidem & utero graues, pariendiue pœnis
inualidæ, solum auxilium nouere in altum profugere,
& se toto defendere oceano. Contra orcæ occurrere la-
borant, seseq; opponere, & incautas angustijs trucida-
re, in uada urgere, saxis illidere. Spectantur ea prælia
ceu mari ipso sibi irato, nullis in sinu uentis, fluctibus
uero ad anhelitus ictusque, quantos nulli turbines uol-
uant. Orca & in portu Ostiensi uisa est oppugnata à
Claudio principe. Venerat tunc, exædificante eo por-
tum, inuitata naufragijs tergorum euectorum è Gallia,
satiansque se per complures dies, alueum in uado sulca
uerat, accumulata fluctibus in tantum, ut circũagi nul-
lo modo posset, & dum saginam persequitur, in littus
fluctibus propulsa, eminẽte dorso multum super aquas
carinæ uice inuersæ. Protendi iussit Cæsar plagas mul-
tiplices inter ora portus, profectusque ipse cum præto-
to-

In sinu, ubi sta bulantur Balenæ

ora, hoc est, ostia

rianis cohortibus, populo Romano ſpectaculum præ‑
buit, lanceas congerente milite e nauigijs aſſultanti‑
bus: quorum unum mergi uidimus, reflatu beluæ op‑
pletum unda: Ora Balenæ habent in frontibus, ideo‑
que ſumma aqua adnatantes, in ſublime nimbos ef‑
flant.

An ſpirent piſces, dormiantue, & quibus piſcibus branchiæ non ſint, & auditum illis eſſe & odoratum. Caput VII.

SPirant autem confeſſione omnium, & pauciſſima a‑
lia in mari, quæ internorum uiſcerum pulmonem ha
bent: Quoniam ſine eo nullum animal putatur ſpira‑
re, nec piſcium branchias habentes anhelitum redde‑
re, ac per uices recipere exiſtimant: quorum hæc opi‑
nio eſt: nec multa alia genera etiam branchijs carentia.
In qua ſententia fuiſſe Ariſtotelem uideo, & multis per
ſuaſiſſe doctrinæ indaginibus. Nec me protinus hu‑
ic opinioni eorum accedere haud diſſimulo: quoniam
& pulmonum uice alijs poſſunt alia ſpirabilia ineſſe ui‑
ſcera, ita uolente natura, ſicut & pro ſanguine multis
alius humor. In aquas quidem penetrare hunc uita‑
lem halitum quis miretur? qui etiam reddi ab his
eum cernat: & in terras, tanto quoque ſpiſſiorem

Quænam ex marinis ſpirent, docet Ariſtoteles de natura animalium lib. ſexto capite duodecimo, ubi ea omnia ſpirare dicit, quæ fiſtulam habent, & recipiunt aerem. Item de partu ani, libro tertio capite ſexto, Spirant, inquit, pedeſtria omnia, & aquatilium nonnulla, ut balena & delphinus &c.

Nec me protinus &c, hoc eſt, non diſſimulo me huic opinioni non accede re, imo hanc illorum ſententiam plane nego, Non diſſimulo ergo, id eſt, aper te ac libere fateor me illorum opinioni & ſententiæ non accedere, id eſt, non ſubſcribere.

na‑

naturæ partem penetrare, argumento animalium, quæ semper defossa uiuunt, ceu talpæ. Accedit apud me certæ efficaciæ, ut credam omnia in aquis spirare naturæ suæ sorte, primum sæpe adnotata piscium æstiuo tẽpore quædam anhelatio, & alia tranquillo uelut oscitatio. Ipsorum quoq; qui sunt in aduersa opinione, de somno piscium confessio. Quis enim sine respiratione somno locus? Præterea bullantium aquarum sufflatio, Lunæq; effectu concharum quoq; corpora augescentia: super omnia esse auditum & odoratum piscibus, non erit dubium, ex aeris utrumq; materia. Odorem quidem non aliud q̃ infectum aera intelligi posse. Quamobrem de his opinentur, ut cuiq; libitum erit. Branchiæ non sunt Balenis, nec delphinis. Hęc duo genera fistulis spirant, quę ad pulmonem pertinent. Balenis à fronte, delphinis à dorso. Et uituli marini (quos uocant phocas) spirant & dormiunt in terra: Item testudines, de quibus mox plura.

Arist. dicit lib. 4. de nat. an. cap. x omnia animalia sopore grauari & dormire.

De delphinis. Cap. VIII.

VElocissimum omnium animalium non solum marinorum delphinus, sed ocyor uolucre, acrior telo, ac nisi multum infra rostrum os illi foret medio penè in uẽtre, nullus piscium celeritatem eius euaderet. Sed affert moram prouidentia naturæ, quia nisi resupini atq; conuersi non corripiunt, quæ caussa præcipue uelocitatem eorum offendit. Nam cum fame concitati, fugientem in uada ima persecuti piscem, diutius spiritum continuere, ut arcu emissi ad respirandum emicant, tantaq; ui exiliunt, ut plærumq; uela nauium transuolent uento euntium. Agunt uere cõiugia, pariunt catulos decimo mense, æstiuo tempore. Interdum & binos nutriunt uberib. sicut Balena, atq; etiam gestant fœtus in infantia infirmos

corripiunt. s. pisces alios.

Nam maxima ex parte singulos edunt Arist. li. 6. cap. 12.

mos: Quinetiã adultos diu comitantur, magna erga par
tum charitate. Adolescunt celeriter. Decem annis pu-
tantur ad summam magnitudinem peruenire: uiuunt e-
tiam tricenis, quod cognitum præscissa cauda in experi
mentum. Abduntur tricenis diebus circa canis ortum,
occultanturq; incognito modo: Quod eò magis mirũ
est, si spirare in aquis nequeunt. Solent in terram erum-
pere incerta de caussa, & statim tellure tacta moriuntur,
multoq; ocius fistula obturata. Lingua est his contra na
turam aquatilium mobilis, breuis atq; lata, haud diffe-
rens suillæ. Pro uoce gemitus humano similis, dorsum
repandum, rostrum simum. Qua de caussa nomen Simo
nis omnes miro modo agnoscunt, maluntq; ita appella
ri. Delphinus non tantum hominis amicum animal, ue
rum & Musica arte mulcetur symphoniæ cantu, & præ
cipue hydrauli sono. Hominem non expauescit ut alie-
num, obuiam nauigijs uenit, alludit exultans, certat eti
am, & (quãuis plena) præterit uela. Diuo autem Augu-
sto principe Lucrinum lacum inuectus, pauperis cuius-
dam puerum ex Baiano Puteolos in ludum literarium
itantem, cum meridiano immorans appellatum eum Si
monis nomine, sæpius fragmentis panis, quem ob id fe-
rebat, allexisset, miro amore dilexit. Pigeret referre, ni
res Mœcenatis & Flauiani, et Flauij Alfij, multorumq;
esset literis mandata. Quocunq; diei tempore inclama-
tus à puero, quãuis occultus atq; abditus, ex imo aduola-
bat, pastusq; è manu præbebat ascensuro dorsum, pinnę
aculeos uelut uagina condens, receptumq; Puteolos p
magnum æquor in ludum ferebat. Simili modo reue-
hens pluribus annis, donec morbo extincto puero, sub-
inde ad consuetum locum uentitans, tristis & mœrenti
similis, ipse quoq; (quod nemo dubitaret) desyderio ex

Hydr. sono. Hic sonus est ueluti murmur quod per canales elicitur, unde & hydraulica instrumenta uocantur, organa musica, quæ per aquam sonantes excitãt uoces, uocabulo ipso composito ab ὕδωρ quod aquam, & αὐλὸς quod tibiam significat.

piravit. Alius inter hos annos in Africo littore Hippo-nis Diarrhyti simili modo ex hominũ manibus uescẽs, ferensq́ȝ se tractandũ, & alludẽs natãtibus, impositosq́ȝ portans, unguẽto perunctus à Flauiano ꝓconsule Africæ, & sopitus (ut apparuit) odoris nouitate, fluctuatusq́ȝ similis exanimi, caruit hominũ cõuersatione, ut iniuria fugatus per aliq̃t menses, mox reuersus in eodẽ miraculo fuit. Iniuriꝫ potestatũ inhospitales ad uisendũ uenientiũ, Hipponenses in necẽ eius cõpulerunt. Ante hęc similia de puero in Iasso urbe memorant, cuius amore spectatus lõgo tẽpore, dum abeuntẽ in littus auide sequit̃, in harenã inuectus expirauit. Puerũ Alexander Magnus Babylone Neptuni sacerdotio præfecit, amorẽ illũ numinis propitij fuisse interp̃tatus. In eadẽ urbe Iasso Egesidemus scribit & aliũ puerũ Hermiã nomine, similit̃ maria perequitantẽ, cũ repẽtinæ ꝓcellæ fluctibus exanimatus esset, relatũ, delphinũq́ȝ caussam leti fatentẽ, nõ reuersum in maria, atq́ȝ in sicco expirasse. Hoc idẽ & Naupacti accidisse Theophrastus tradit. Nec modus exemplorũ. Eadẽ Amphilochij & Tarẽtini de pueris delphinis q́ȝ narrant. Quæ faciunt, ut credat̃ Arionẽ quoq́ȝ citharœdicæ artis interficere nautis in mari parãtibus, ad intercipiendos eius questus eblanditum, ut prius caneret cithara, congregatis cantu delphinis, cum se iecisset in mare, exceptũ ab uno, Tænarũ in littus prouectũ. Est prouinciæ Narbonẽsis, & in Nemausiensi agro stagnũ, Laterna appellatũ, ubi cũ homines delphini societate piscant̃, innumera uis mugilũ stato tẽpore angustis faucibus in mare erũpit, obseruata æstus reciꝓcatione. Qua de caussa p̃tendi nõ queũt retia, quæ molẽ ponderis ullo mõ tolerent, etiam si nõ solertia insidietur tẽpori. Simili ratione in altũ ꝓtinus tendũt, quod uicino gurgite efficitur,

Est & hyppõ regius, de quo Plin. li 5. cap. 3. Diarrhytus autem dictus est hippo propter aquarũ irrigua oppida Lybiæ. Iniuriæ primorũ compulerunt in necem delphini Hip. uenientes ad aduisendum

Ias. oppidum in Rhodo insula

Oppidũ Etoliæ

De Arione Herodotus libro 1. historiarum, Gel. li 16. cap. 19

tur, locūq; solū pandendis retibus habilē, effugere festi-nant, quod ibi animaduertēre piscantes. Concurrit aūt multitudo tēporis gnara, & magis etiam uoluptatis hu-ius auida, totusq; populus e littore, quanto pōt clamore cōciet Simonē ad spectaculi euentū. Celeriter delphini exaudiūt desyderia, aquilonū flatu uocē psequente, au-stro uero tardius ex aduerso referēte. Sed tūc quoq; imp-uiso in auxiliū aduolant. Propere apparet acies, quæ p-tinus disponit in loco, ubi cōiecta est pugna. Opponūt sese ex alto, trepidosq; in uada urgēt. Tūc piscatores cir-cūdant retia, furcisq; subleuāt. At mugilū nihilominus uelocitas transilit. At illos excipiūt delphini, & occidis-se ad præsens cōtenti, cibos in uictoriam differūt. Opere prælīū feruet, includiq; retibus se fortiss. urgētes gaudēt. Atq; ne idipsum fugam hostiū stimulet, inter nauigia & retia natantesue homines ita sesim elabunt, ut exitus nō appareat. Saltu, qd' est alias blandiss. his, nullus conatur euadere, ni submitantur sibi retia. Egressi protinus an-te uallū præliantur. Ita pacta captura, qs interemere, diri-piūt. Sed enixioris operæ q unius diei præmiū, ut cōscij, operiuntur in posterū, nec piscibus tantū, sed interiectu panis ac uino saciantur. Quę de eodē genere piscandi in Iassio sinu cōsul Mutianus tradit, hoc differunt, q ultro neq; inclamati præsto sint, ptesq; e manibus excipiant, & suum quęq; cubantes cū delphinis socium habeant, q uis noctu & ad faces. Ipsis quoq; inter se est publica soci-etas. Capto a rege Cariæ, alligatoq; in portu delphino, ingens reliquorum conuenit multitudo, mœstitia qua-dam (quæ posset intelligi) miserationem petens, donec dimitti rex eū iussit. Quin & paruos semp aliquis gran-dior comitatur ut, custos. Conspectiq; sunt iam defun-ctum portantes, ne laceretur a beluis.

De Tursionibus aquatilibus Cap. IX.

DElphinorum similitudinem habent, qui uocantur Tursiones. Distant & tristitia quidem aspectus. Abest enim illa lasciuia, maxime tamen rostris caniculorum maleficentia assimulati. tristi. hoc est, tristi colore, habitu & gestu ipso. Trisiones & tirsiones legitur apud Aristotelem lib. sexto capite duodecimo.

De Testudinibus quomodo capiantur. Cap. X.

TEstudines tantæ magnitudinis Indicum mare emittit, ut singularum superficies habitabiles casas integant, atq; inter insulas rubri præcipue maris his nauigẽt cymbis. Capiuntur multis quidem modis, sed maxime euectæ in summa pelagi antemeridiano tẽpore blandito, eminente toto dorso per tranquilla fluitantes: quæ uoluptas libere spirandi, in tantum fallit oblitas sui, ut solis uapore siccato cortice, non queant mergi, inuitæq; fluitent, opportunæ uenantium prædæ. Ferunt & pastũ egressas noctu, auideq; saturatas lassari: atq; ut remearint matutino, summa in aqua obdormiscere, id ꝓdi stertentium sonitu, tumq; leuiter capi. Adnatare nãq; singulis ternos, à duobus in dorsum uerti, à tertio laqueum inijci supinæ, atq; ita ad terram à pluribus trahi. In Phœnicio mari haud ulla difficultate capiuntur, ultroq; ueniunt stato tempore anni in amnem Eleutherũ effusa multitudine. Dentes non sunt testudini, sed rostri margines acuti, superna parte inferiorem claudente pyxidum modo. In mari uiuunt conchylijs, tanta oris duritia, ut lapides comminuant. In terram egressæ in herbis pariunt oua, auium ouis similia, ad centena numero. Eaq; defossa extra aquas, & cooperta terra, ac pauita pectore & complanata, incubant noctibus. Educant fœtus annuo spatio. Quidam oculis spectando quoque oua foueri ab ijs

Cymbis, nauigiis ex illarum testis fabricatis.

Inui. flu. quia iã mergi nequeant.

pu

putant. Fœminam coitum fugere, donec mas festucam aliquam imponat aduersæ. Troglodytæ cornigeras habent, ut in lyra, annexis cornibus latis, sed mobilibus, quorũ in natando remigio se adiuuant. Celetũ genus id uocatur eximiæ testudinis, sed raræ. Namq; quasi scopuli præacuti Chelonophagos terrent. Troglodytæ autem ad quos adnatant, ut sacras adorant. Sunt & terrestres, quæ ob id in operibus chersinæ uocantur, in Aphricę desertis, qua parte maxime sitientibus harenis squalent roscido (ut creditur) humore uiuentes. Neq; ibi aliud animal prouenit.

Lyra & piscis & instrumentũ musicum. Arist. lib. 4. capite nono. Chelenop. i. eos, qui testudinibus uescuntur, a χελώνη quod testudo, & a φάγειν quod comedere significat nomine composito.

Quis primus testudines secare instituit. Cap. XI.

TEstudinum putamina secare in laminas, lectosque & repositoria ijs uestire Carbilius Pollio instituit, prodigi & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenij.

Tegmenta aquatilium. Cap. XII.

AQuatilium tegmenta plura sunt. Alia corio et pilis teguntur, ut uituli, hippopotami. Alia corio tãtum ut delphini: cortice, ut testudines: silicum duricia, ut ostreæ & conchæ: crustis, ut locustæ: crustis & spinis, ut echini: squamis, ut piscis: aspera cute, ut squatina, qua lignum & ebora poliuntur: molli, ut murenæ, alia nulla, ut polypus.

De uitulo marino. Cap. XIII.

Quæ pilo uestiuntur, animal pariunt, ut pristes, balena, uitulus. Hic parit in terra pecudum more: secundo partus reddit initu. Canum modo cohæret, & parit nunquam geminis plures, educat mammis fœtum. Non ante xij. diem deducit in mare, ex eo subinde assuefaciens. Interficiuntur difficulter nisi capite eliso. Ipsis in somno mugitus, unde nomen uituli accipiunt. Tenent disciplinam, uoceq; pariter & uisu populum salutant, incon

Apud Ari. li. 6. legitur, hic animal & concipit statim intra se, & parit, Secundas quoque emittit, & lac reddit &c.

 dito

dito fremitu, nomine uocati respondent. Nullũ animal grauiore somno premitur. Pinnis quibus in mari utuntur, humi quoq; uice pedum serpunt. Pelles eorum etiam detractas corpori, sensum æquorũ retinere tradunt, sẽperq; æstu maris recedẽte inhorrescere: præterea dextræ pinnæ uim soporiferam inesse, sõnosq; allicere subdi (tam capiti.

De piscibus pilo carentibus, & quomõ pariant, & quot eorum genera. Cap. XIIII.

PIlo carentium duo omnino animal pariunt, delphinus & uipera. Piscium species sunt septuaginta quatuor: præter crustis intecta, quæ sunt tringinta. De singulis alias dicemus. Nunc enim naturæ tractantur insignium. alias dicemus, lib xxxij. cap. ult.

De nominibus & naturis multorũ pisciũ. Cap. XV.

PRæcipua magnitudine Thynni. Inuenimus talenta xv. pependisse. Eiusdem caudæ latitudinem duo cubita & palmũ. Sunt & in quibusdam amnibus haud minores, silurus in Nilo, esos in Rheno, attilus in Pado, inertia pinguescẽs, ad mille aliquando libras, catenato captus hamo, nec nisi boum iugis extractus: Atqui hunc minimus appellatus clupea, uenã quandam eius in faucibus mira cupidine appetẽs, morsu exanimat. Silurus grassatur ubicumq; est, omne animal appetens, equos innatantes sæpe demergẽs, pcipue in Meno Germaniæ amne, ppter Lisbouũ, & in Danubio. Mari extrahit porculo marino simillimus. Et in Borysthene memoratur pcipua magnitudo, nullis ossibus spinis'ue intersitis, carne pdulci. In Gange Indię platanistas uocant, rostro delphini et cauda, magnitudine autem xv. cubit. In eodem esse Statius Sebosus haud modico miraculo affert, uermes branchijs binis. lx. cubit., cœruleos, q nomẽ a facie traxerunt. His tantas esse uires, ut elephantos ad potũ uenientes mordicus apphensa manu eorũ abstrahant. Thynni mares sub uẽtre nõ hñt pinnam. Intrant e magno ma-

Silurus sturio dicitur. Esos uel e sox autẽ est lax apud germanos. Clupeas uero Romanum uulgus latias appellat, Gallia & Germania alosas, harũ magna copia in Rheno per Aprilẽ & Maiũ capitur., estque saporis nõ contemnẽdi, quẽ amittere dicũt ad primum tonitrus sonitum.

ri põtum uerno tpe gregatim, nec alibi fœtificant, Cor-
dilla appellatur ptus, q fœtas redeuntes in mare autum
no comitatur. Limosæ uero a luto pelamides incipiunt
uocari, & cũ annuum excessere tps, thynni. Hi membra
tim cæsi, ceruice & abdomine cõmendantur, atq; clidio,
recẽti dumtaxat, & tum quoq; graui ructu, cętera parte ple
nis pulpamentis sale asseruantur. Melandrya uocatur,
cæsis quernis assulis simillima. Vilissima ex his, q cau-
dæ proxima, quia pingui caret. Probatissima ea, q fauci
bus: at in alio pisce, circa caudam exercitatis. Pelami-
des in apolectos pticulatimq; cõsectæ, in gña cybiorũ di
spartiunt. Pisciũ genus omẽ pcipua celeritate adolescit
maxime in Põto. Caussa, multitudo amniũ dulces infe-
rẽtium aqs. Amiam uocant, cuius incremẽtum singulis
diebus intelligit. Cum thynnis hęc & pelamides in Pon
tum ad dulciora pabula intrant gregatim cũ suis quisq; du
cibus, & primi om scõbri, qbus & in aqs sulphureus co-
lor, extra q ceteris. Hispanię cetarias his replẽt, thynnis
nõ cõmeantibus. Sed in Põtum nulla intrat bestia pisci-
bus malefica, pter uitulos & puos delphinos. Thynni
dextra ripa intrãt, exeunt leua. Id accidere existimatur,
qa dextro oculo plus cernunt, utroq; hebete natura. Est
in Euripo Thracij Bosphori, q Propõtis Euxino iungi-
tur, in ipsis europam asiamq; sepantis freti angustijs, sax
um miri candoris, a uado ad summa plucẽs iuxta Chal-
cedonẽ in latere Asiæ. Huius aspectu repẽte territi, sem
per aduersum Byzantij pmontorium ex ea caussa appella
tum auricornu, pcipiti petunt agmine. Itaq; omis captu
ra Byzantij est, magna Chalcedõis penuria. m. pas. me-
dij interfluẽtis Euripi. Opperiunt autẽ aqlonis flatum,
ut secundo fluctu exeant e ponto, nec nisi intrantes pon
tum, Byzantij capiunt. Bruma nõ uagant: ubicunq; dep
hensi usq; ad æqnoctium, ibi hybernant. Iidẽ sæpe naui-
gia uelis euntia comitantes, mira qdam dulcedine p ali

Clidio. i. iugulo recenti non salso

Apolectus maxima ex pelamidibus. Plin. 32. cap. ult. Cybio uero est concisa pelamis.

In manuscripto exemplari legitur. m. pas. alias d. c.

quot horarum spacia, & passuum milia à gubernaculis non separantur, ne tridente quidem in eos sæpius iacto territi. Quidam eos, qui hoc è Thynnis faciant, pompilos uocant. Multi in Propontide ęstiuant. Pontum non intrant. Item soleæ cum rhombi intrent: nec sepia est, cũ loligo reperiatur. Saxatilium, turdus & merula desunt, sicut conchylia, cum ostreę abundent. Omnia autem hybernant in Aegæo. Intrantium pontũ soli non remeant Trichiæ. Græcis enim in plærisq; nominibus uti parerit, quãdo alijs atq; alijs eosdem diuersi appellauere tractus. Sed hi soli Istrum amnem subeunt, ex eo subterraneis eius uenis in Adriaticum mare defluunt: itaq; & illuc descendentes nec unquàm subeũtes è mari uisuntur. Thynnorum captura est à Vergiliarum exortu ad Arcturi occasum. Reliquo tempore hyberno latent in gurgitibus imis, nisi tepore reliquo euocati, aut plenilunijs Pinguescunt & in tantum, ut dehiscant. Vita longissima ijs biennij. Animal est paruum, scorpionis effigie, aranei magnitudine. Hoc se & thynno & ei (qui gladius uocatur) crebro delphini magnitudinẽ excedenti, sub pinna affigit aculeo, tantoq; infestat dolore, ut in naues sæpenumero exiliant. Quod & alias faciunt aliorũ uim timentes. Mugiles maxime tam præcipue uelocitatis, ut transuersa nauigia interim superiactent.

Soleæ, æstiuant. saxat. quæ inter saxa stabulantur

Vergil. exor. qui fit tempore uerno, occas. arcturi in autumno.

De augurijs & diuersitate piscium. Cap. XVI.

SVnt & piscibus præscita in hac parte auguria. Siculo bello ambulante in littore Augusto, piscis è mari ad pedes eius exilijt, quo argumento uates respondere, Neptunum patrem adoptantem eum sibi, Sexto Pompeio repudiato (Tanta erat naualis rei gloria) sub pedibus Cæsaris futuros, qui maria tempore illo tenerent. Piscium fœminæ maiores q̃ mares. In quodam genere omnino

Pom. hic fuit filius Pom Magni

no non sunt mares, sicut in erythinis & chromibus. Omnes enim ouis grauidæ capiuntur. Vagantur gregatim ferè cuiusque generis squamosi. Capiuntur ante solis ortum, tum maxime piscium fallitur uisus. Noctibus quidem illustribus æque quam die cernunt. Aiunt & si iteretur gurges, interesse capturę, itaque plures secundo tractu trahi quam primo, gustu olei maxime. Dein modicis imbribus gaudent, aluntur que. Quippe & harundines, quamuis in palude prognatæ, non tamen sine imbre adolescunt, & alias ubicunque. Pisces in eadem aqua assidui (nisi appluat) exanimantur. Prægelidam hyemem omnes sentiunt, sed maxime, qui lapidem habere in capite existimantur, ut lupi, coracini, sciena, pagri. Cum asperæ hyemes fuere, multi cæci capiuntur. Itaque his mensibus iacent in speluncis conditi, sicut in terrestrium genere retulimus. Maxime hippurus & coracinus hyeme non capi, pręter quam æstatis diebus paucis, & iisdem semper. Item murena & orphus, conger, percæ, & saxatiles omnes. Terra quidem, hoc est, uado maris excauato condi per hyemes torpedinem, psittam, soleamque tradunt. Quidam rursus æstus impatientia, mediis feruoribus sexagenis diebus latent, ut glaucus, aselli, auratæ. Fluuiatilium silurus caniculæ exortu syderatur, & alias fulgure sopitur. Hoc & in mari accidere cyprino putant. Et alioqui totum mare sentit exortum eius syderis, quod maxime in Bosphoro apparet. Algæ enim & pisces superferuntur, ab imo uersa omnia.

Syder. sydere illo affligitur .i. morbo corripiturqui syderatio dicitur syderatur ergo .i. morbo torpescit, hoc malum & arboribus nonnunquam accidit.

De Mugili & aliis piscibus, & quod non iidem ubique placeant. Cap. XVII.

MVgilum natura ridetur, in metu capite abscondito, totos se occultari credentium. Iisdem tamen tanta salacitas, ut in Phœnice & Narbonensi prouincia coi

T tus

tus tempore, e uiuarijs marem linea lõginqua per os ad brãchias religata, emissum in mare, eademq́ linea retra ctum fœminæ sequãtur ad littus, rursusq́ fœminam mares partus tempore. Apud antiquos piscium nobilissimus habitus accipenser, unus omnium, squamis ad os uersis, contra aquam nando meat, nullo nunc in honore est, quod quidem miror, cum sit rarus inuentu. Quidam eũ elopen uocant. Postea præcipuam authoritatem fuisse lupo & asellis Cornelius Nepos & Laberius poeta mimorum tradidere. Luporum laudatissimi, qui appellan tur lanati a candore mollitiaq́ carnis. Asellorum duo genera, callariæ minores & bacchi, qui nõ nisi in alto ca piuntur, ideoq́ prælati prioribus. At in lupis, in amne capti præferuntur. Nũc scaro datur principatus, qui solus piscium dicitur ruminare, herbisq́ uesci, non alis piscibus, mari Carpathio maxime frequens. Promontorium Troadis Lecton sponte nunq̃ transit. Inde aduectos Tiberio Claudio principe Optatus Elipertius præfectus classis, inter Ostiensem & Campaniæ oram sparsos disseminauit. Quinquẽnio fere cura est adhibita, ut capti redderentur mari. Postea frequentes inueniuntur Italiæ in littore, non ante ibi capti. Admouitq́ sibi gula sapores piscibus satis, & nouum incolam mari dedit, ne quis peregrinas aues Romæ parere miretur. Proxima est ijs mẽsa generis duntaxat mustelarum, quas (mirum dictu) inter alpes lacus Rhetiæ Bigrantinus æmulas marinis generat. Ex reliqua nobilitate & gratia maxima est, & copia mullis, sicut magnitudo modica, binasq́ libras ponderis raro admodum exuperant, nec in uiuarijs piscinis q́ crescunt. Septentrionalis tantum hos, & proxima occidentis parte gignit oceanus. Cætera eorũ genera plura. Nam & alga uescuntur, et ostreis, & limo, et aliorum

æmulas, i. similes

pi-

piſcium carne. Barba gemina inſigniuntur inferiori labro. Lutarium ex iis uiliſſimi generis appellant. Hunc ſemper comitatur ſargus nomine, alius piſcis, & cœnũ fodiente eo, excitatum deuorat pabulum. Nec littoralibus gratia. Laudatiſſimi conchylium ſapiunt. Nomen iis Feneſtella a colore mulleorum calciamentorum datum putat. Pariunt ter anno. His certe toties fœtura apparet. Mullum expirantem uerſicolori quadam & numeroſa uarietate ſpectari, proceres gulę narrant, rubentium ſquamarũ multiplici mutatione palleſcẽtem, utiq; ſi uitro ſpectetur incluſus. M. Apitius ad omnem luxũ ingenio mirus in ſociorum garo (nam ea quoq; res cognomen inuenit) necari eos præcellens putauit, atq; e iecore eorum alecẽ excogitare prouocauit. Id enim eſt facilius dixiſſe, q̃ quis uicerit. Aſinius celer e cõſularibus, hoc piſce prodigus Claudio principe, unũ mercatus octo milibus nummum: quæ reputatio aufert tranſuerſum animum ad contemplationem eorum, qui in cõqueſtione luxus cocos emi ſingulos pluris q̃ equos quiritabant. At nunc coci triumphorum prætiis parãtur, & coquorum piſces. Nullus q; prope iam mortalis ęſtimatur pluris, q̃ qui peritiſſime cenſum domini mergit.

Mullei, calcei olim fuerunt regũ Albanorum, ac deinde patriciorum, a mullando .i. ſuendo dicti.

Garum uel garus liquamẽ eſt quod ex piſcibus plærũque fit, nonnũquam ex carnib. ut Dioſ. id conficere docet, caret latino nomine, ſed Auſon. dixit illud, ſociorum liquorem. Et alex eſt genus liquaminis, a ueterib. quoque pro piſce uſurpatum. Quiritare eſt frequenter queri & expoſtulare, a crebra quiritium appellatione.

De mullo, ſalpa & ſalomone, & qui piſces branchias habeant. Caput XVIII.

MVllũ 70. libr. in mari rubro captũ Lic. Mutianus ꝓdidit. Quãti mercatura eũ luxuria, ſuburbanis littorib. inuentũ? Et hæc natura, ut alii alibi piſces principatũ obtineãt: coracinus in Aegypto, zeus, idẽ faber appellat̃, Gadibus, circa Ebuſum, ſalpa, obſcœnus alibi, & q nuſq̃ ꝑcoqui poſſit niſi ferula ꝟberatus. In Aqtania ſalmo fluuiatilis marinis oĩbus ꝓfertur. Piſciũ alii brãchias multiplices habent, alii ſimplices, alii duplices. Iis aquã acceptam ore remittũt. Senectutis indiciũ ſqua= (T ii

marum duricia, quæ non sunt omnibus similes. Duo lacus Italiæ in radicibus alpium, Larius & Verbanus appellãtur, in quibus pisces omnibus annis Vergiliarum ortu existunt squamis conspicui, crebris atq; præacutis, clauorum caligarium effigie, nec amplius, quàm circa eum mensem uisuntur. clau. caligar. hoc est, clauorum, quibus calcei subfiguntur. Est enim caliga calciamenti militaris genus, unde & C. Caligula dictus est, q; in exercitu natus esset. Hinc de eo Ausonius: Caius, cognomen caligæ cui castra dederunt.

De Exocœto. Caput XIX.

MIratur Arcadia suum exocœtũ, appellatum ab eo, q; in siccum somni caussa exeat. Circa Clitoriũ uocalis hic traditur, & sine branchijs. Idem aliquibus adonis dictus. Exeunt in terram & qui marini mures appellantur, & polypi & murenæ. Quin & in Indiæ fluminibus certum genus piscium, ac deinde resilit, nam stagna & amnes transeunt. Plærisq; & euidens ratio est, ut tuto fœtus ædant, quia nõ sint ibi qui deuorẽt fœtus, fluctusq; minus sæuiant. Has intelligi ab his caussas, seruariq; temporũ uices magis miretur, si quis reputet quoto cuiq; hominum nosci, uberrimam esse capturam sole transeunte piscium signum. quoto, hoc est, q; paucissimis.

Digestio piscium in figuras corporum. Cap. XX.

MArinorum alij sunt plani, ut Rumbi, soleæ ac passeres, qui a rumbis situ tantum corporum differunt. Dexter resupinatus est illis, passeri læuus. Alij longi, ut murena, conger. Ideo pẽnarum quoq; fiunt discrimina, quæ pedum uice datæ sunt piscibus. Nullis supra quas, quibusdam binæ, quibusdam trinæ, aliquibus nullæ. In Fucino tantum lacu piscis est, qui octonis pennis natat. Binæ omnino longis, ut lumbricis & anguillis & con-

gris. Nullæ, ut murenis, quibus nec branchiæ. Hæc omnia flexuoso corporum impulsu ita mari utuntur, ut serpentes terra, in sicco quoq; repunt, ideo etiam uiuaciora talia. Et e planis aliqua non habent pennas, ut pastinacæ, ipsa enim latitudine natant: & quæ mollia appellantur, ut polypi. quoniam pedes uicē pēnarum illis præstant.

De Anguillis. Caput XXI.

ANguillæ octonis uiuunt annis. Durant et sine aqua senis diebus aquilone spirante, austro paucioribus. At hyemem eædem in exigua aqua non tolerant, nec in turbida; ideoq; circa Vergilias maxime capiuntur, fluminibus tum præcipue turbidis. Pascuntur noctibus. Exanimes piscium solæ non fluitant.

Tempore uerno oriuntur Vergiliæ

De lacu Benaco. Caput XXII.

LAcus est Italiæ Benacus, in Veronensi agro Mintiū amnem transmittens, ad cuius emersus annuo tēpore, Octobri fere mēse, autumnali sydere, ut palam est, hyemato lacu, fluctibus glomeratæ uoluuntur, in tantum mirabili magnitudine, ut in excipulis eius fluminis, ob hoc ipsum fabricatis, singulorum milium globi reperiantur.

hyemato. i. fluctibus uexato

De Murena. Caput XXIII.

MVrena quocumq; tēpore parit, cum cæteri pisces stato pariant. Oua eius citissime crescunt in sicco littore, elapsas uulgus coitu serpentium impleri putat. Aristoteles myrinum uocat marem qui generat. Discrimen esse, q murena uaria & infirma sit, myrinus unicolor & robustus, dentesq; extra os habeat. In Gallia septentrionali murenis omnibus dextera in maxilla septenæ maculæ, ad formam septemtrionis, aureo colore fulgent, duntaxat uiuentibus, pariterq; cum anima extinguuntur. Inuenit in hoc animali documēta sæuitiæ Ve-

Vedius Pol. sagi nabat murenas humano sangui ne.

dius Pollio eques Rom. ex amicis diui Augusti, uiua-rijs earũ immergens damnata mancipia, non tanq̃ ad fe-ris terrarum nõ sufficientibus, sed quia in alio genere to tum pariter hominẽ distrahi spectare nõ poterat. Ferũt aceti gustu præcipue eas in rabiẽ agi. Tenuissimũ his ter gus: cõtra anguillis crassius, eoq́ uerberari solitos trã-dit Verrius prætextatos, & ob id multam ijs dicit nõ in stitutam.

De planis piscibus. Caput XXIIII.

PLanorum pisciũ alterũ est genus, quod pro spina car tilaginẽ habet, ut raiæ, pastinacæ, squatinæ, torpedo, & quos bouis, lamiæ, aquilæ, ranæ nominibus Græcia appellat. Quo in numero sunt squali quoq;, q̃uis nõ pla ni. Hæc græce in uniuersum selache appellauit Aristo-teles primus. Hoc nomine eis imposito, nos distinguere nõ possumus, ni cartilaginea appellare libeat. Om̃ia au tẽ carnosiora sunt talia, et supina uescuntur, ut in delphi nis diximus. Et cum cæteri pisces oua pariant, hoc genꝰ solum, ut ea quæ cete appellant, animal parit, excepta quam ranam appellant.

Græci uocant cõ muni nomine pi sces magnos cete

De Echeneide. Caput. XXV.

Echeneis latinis remora dicitur.

EST paruus admodũ piscis assuetus petris, echeneis ap pellatus: hoc carinis adhærente, naues tardius ire cre dunť, inde nomine imposito: quam ob caussam amato-rijs q̃q; ueneficijs infamis est, & iudiciorũ ac litiũ mora: quæ crimina una laude pensat fluxus grauidarũ utero si stens, partusq́ cõtinens ac puerperiũ: in cibos tñ nõ ad-mittiť. Pedes eũ habere arbitratur Arist. ita posita pẽna rum similitudine. Mutianus muricẽ esse latiorẽ purpu-ra, neq; aspero, neq; rotũdo ore, neq; in angulos prodeũ te rostro, sed simplice, cõcha utroq; latere sese colligen-te: quibus inhærẽtibus plenam uentis stetisse nauẽ, por-tantẽ nuncios a Periandro, ut castrarentur nobiles pue-ri,

ri, conchasq́ quæ id præstiterunt, apud Gnidiorũ Venerẽ coli. Trebius Niger sesquipedalẽ esse, & crassitudine quinq; digitorũ, naues morari. Præterea hanc esse uim eius asseruati in sale, ut aurũ quod deciderit in altissimos puteos, admotus extrahat.

De uarietate naturæ piscium. Caput XXVI.

MVtant pisces colorẽ. Candidæ hyeme menæ, & fiunt æstate nigriores. Mutat & phycis, reliquo tpe candida, uere uaria. Eadẽ piscium sola nidificat ex alga, atq; in nido parit. Volat hirundo, sanè perq; similis uolucri hirundini.

De miluo pisce & dracone marino. Cap. XXVII.

ITem miluus subit in summa maria, piscis ex argumento appellatus lucerna, linguaq́ ignea p os exerta, tranquillis noctibus relucet. Attollit cornua è mari sesquipedalia ferè, cornuta, quæ ab his nomen traxit. Rursus draco marinus captus, atq; immissus in harenam, cauernam sibi mira celeritate excauat.

De piscibus sanguine carentibus. Cap. XXVIII.

PIsciũ qdam sanguine carẽt, de qbus dicemus. Sũt aũt tria gña, in pmis q̃ mollia appellant, deinde cõtecta crustis tenuibus, postrẽo testis inclusa duris. Mollia sũt lolligo, sepia, polypus, & cętera eius generis. His caput inter pedes, & in uentre, pediculi octonis omnibus. Sepiæ & lolligini pedes duo. Ex ijs lõgissimi & asperi, quibus ad ora admouẽt cibos, & in fluctibus se uelut ancoris stabiliunt, cæteri cirri quibus uenantur.

Pennæ pedum uice piscibus datæ sunt.

De lolligine, et sepijs, et polypis, & nautilis. Ca. XXIX.

LOligo etiam uolitat, extra aquã se efferẽs, quod & pectunculi faciunt, sagittę mõ. Sepiarũ generis mares uarij & nigriores, constantiæq́ maioris. Percussæ tridẽte fœminæ, auxiliantur, at fœmina icto mare, fugit.

Am

Ambo autem ubi sensere se apprehendi, effuso atramento, quod pro sanguine his est, infuscata aqua abscondun tur. Polyporum multa genera: Terreni maiores quam pelagici, & omnes brachijs ut pedibus ac manibus utuntur, cauda uero quæ est bisulca & acuta, in coitu. Est Polypis in dorso fistula, quam transmittunt mare, eam modo in dexteram partem, modo in sinistram transferunt. Natant obliqui in caput, quod prædurum est suffocatione uiuentibus. Cæterum per brachia, uelut acetabulis dispersis, eo hausto quodammodo, cui adhærescunt, tenent supini, ut auelli non queant. Vada non apprehendunt, & grandibus minor tenacitas. Soli mollium in siccum exeunt duntaxat asperum, leuitatem odere. Vescuntur conchyliorum carne, quorum conchas complexu crinium frangunt: itaque præiacentibus testis cubile eorum deprehenditur. Et cum alioquin brutum habeatur animal, ut quod ad manum hominis adnatat, in re quodammodo familiari callet. Omnia in domum comportat, dein putamina rosa carne egerit, adnatantes pisciculos ad ea uenatur. Colorem mutat ad similitudinem loci, et maxime in metu. Ipsum brachia sua rodere falsa opinio est. Id enim a congris euenit ei: sed renasci sicut colotis & lacertis caudam, haud falsum. Inter præcipua autem miracula est, qui uocatur nautilos, ab alijs pompilos. Supinus in summa æquorum peruenit, ita se paulatim subrigens, ut emissa omni per fistulam aqua, uelut exoneratus sentina, facile nauiget. Postea duo prima brachia retorquens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit. Qua uelificante in auras, cæteris subremigans brachijs, media cauda (ut gubernaculo) se regit. Ita uadit alto, Liburnicarum gaudens imagine, & si quid pauoris interueniat, hausta se mergens aqua.

De ozena, nauplio, & locustis. Cap. XXX.

Polyporum generis ozena, dicta à graui capitis odo
re, ob hoc maxime murenis eam consectantibus. Po
lypi binis mensibus conduntur. Vltra bimatum non ui
uunt. Pereunt autem tabe semper, fœminæ celerius, &
ferè à partu. Non sunt prætereunda, & L. Lucullo Pro-
cons. Bæticæ comperta de polypis, quæ Trebius Niger
è comitibus eius prodidit, auidissimos esse concharum,
Illas ad tactum comprimi, præcidentes brachia eorum,
ultroq; æscam ex prædante capere. Carent cōchæ uisu,
omniq; sensu alio, q̃ cibi & periculi. Insidiantur ergo po
lypi apertis, impositoq; lapillo extra corpus, ne palpa-
tu eijciatur, ita securi grassantur, extrahuntúe carnes.
Illæ se contrahunt, sed frustra discuneatæ. Tāta solertia
animalium hebetissimis quoq; est. Præterea negat ullū
esse atrocius animal ad conficiēdnm hominem in aqua.
Luctatur enim complexu, & sorbet acetabulis, ac nume-
roso suctu detrahit eum. In naufragos urinantesúe im-
suctu. s. aquæ.
petum capit, sed si inuertatur, elanguescit uis. Exporri-
gunt enim se resupinati, mire omnibus marinis expeten
tibus odorem quoq; eorum, qua de caussa & nassis illinū
tur. Cætera, quæ idē retulit, monstro propiora possunt
uideri. Carteiæ in cetarijs assuetus quidam polypus exi
re è mari in lacus eorum apertos, atq; ibi salsamenta po
pulari, conuertit in se custodum indignationem, assidui
tate furti immodici. Sepes erāt his obiectę, sed has tran-
scendebat per arborem, nec deprehendi potuit nisi canū
sagacitate. Hi redeuntem circumuasere noctu, cōcitiq;
custodes expauere nouitatem. Primum omnium mag-
nitudo inaudita erat, deinde color muria obliti odore
diri. Quis ibi polypū expectasset, aut ita cognosceret?
Cum monstro dimicare sibi uidebantur. Namq; & affla

tu terribili canes agebat, nunc extremis crinibus flagellatos, nunc robustioribus brachijs clauarũ modo incussos, ægreq; multis tridentibus confici potuit. Ostendere Lucullo caput eius, dolij magnitudine, ampharārum xv. capax, atq; ut ipsius Trebij ũbis utar, barbas, quas uix utroq; brachio cõplecti esset, clauarum modo torosas, longas pedum xxx. acetabulis siue caliculis urnalibus peluiũ modo, dentes magnitudini respondẽtes. Reliquiæ asseruatæ miraculo, pependere pondo dcc. Sepias quoq; & loligines eiusdem magnitudinis expulsas in littus illud, idem autor est. In nostro mari loligines quinum cubitorũ capiuntur, sæpe binum. Neq; his bimatu longior uita. Nauigeram similitudinẽ & aliam in Propontide uisam sibi prodidit Mutianus: concham esse acatij modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata. In hac condi Naupliũ animal sepiæ simile, ludendi societate sola: duobus hoc fieri generibus. Tranquillo enim uectorẽ demissis palmulis ferre ut remis. Si uero flatus inuitent, easdẽ in usu gubernaculi porrigi, pandiq; concharũ sinus aura. Huius uoluptatẽ esse ut ferat, illius ut regat. Simulq; eandẽ descẽdere incluso sinu, fluctu hausto territam uisu forte tristi. Id enim ubi cõstat rumore nauigantiũ, humana calamitas in causa est. Locustę crusta fragili muniũtur in eo genere, quod caret sanguine. Latent mensibus quinis: Similiter cancri, qui eodem tẽpore occultantur, & ambo ueris principio senectutem, anguium more exuunt renouatione tergorũ. Cętera in aquis natant. Locustę reptantium modo fluitant. Si nullus ingruat metus, recto meatu cornibus, quæ sunt rotunditate præpilata, ad latera porrectis: ijsdem erectis in pauore oblique in latera procedunt. Cornibus inter se dimicant. Vnum hoc animal nisi uiuum ferueñti aqua

in-

incoquatur, fluida carne non habet callum.

Callum, hoc est, gustatum siue saporem illum, quē sentiunt in uescendo sub dentibus, cum callosam & duriorem carnē mandunt homines gulones. Quare recte dixit fluida carne non habet callum, quod fluida caro callo ueluti opponitur.

De cancris. Cap. XXXI.

Viuunt petrosis locis, cancri mollibus. Hyeme aprica littora sectantur. Aestate in opaca gurgitum recedunt. Omnia eius generis hyeme læduntur, autumno & uere pinguescunt, & plenilunio magis, quia nocte sydus tepido fulgore mitificat. Cancrorum genera, carabi, astaci, maiæ, paguri, heracleotici, leones, & alia ignobiliora. Carabi a cæteris cancris cauda distant. In Phœnice hippeæ uocantur, tantæ uelocitatis ut consequi nō sit. Cancris uita longa. Pedes octoni omnibus in obliquum flexi. Fœminæ primus pes duplex, mari simplex. Præterea bina brachia denticulatis forcipibus. Superior pars in primoribus his mouetur, inferiore immobili. Dextrum brachium omnibus maius. Vniuersi ubi aliquando congregantur, os Ponti euincere non ualent: quamobrem regressi circumeūt, apparetq; tritum iter. Pinnother autē uocatur minimus ex omni genere, ideo opportunus iniuriæ. Huic solertia est in inanium ostrearū testis se condere, & cum accreuerit, migrare in capaciores. Cancri in pauore etiam retrorsum pari uelocitate redeunt. Dimicant inter se, ut arietes, diuersis cornibus incursantes. Contra serpentiū ictus medentur. Sole cancri signum transeūte, & ipsorum (cum exanimati sunt) corpus transfigurari in scorpiones narratur in sicco. Ex eodē gñe sunt echini, quibus spinæ pro pedibus. Ingredi est ijs in orbē uolui, itaq; detritis sæpe aculeis inueniūtur. Ex his echinometræ appellant, q̄rū spinę lōgiss.

Pinnother dictus quod pinnas ue netur.

calices minimi. Nec omnibus idem uitreus color. Circa Toronem candidi nascũtur, spina parua. Oua omnium amara, quina numero. Ora in medio corpore in terram uersa. Tradunt sæuitiam maris præsagire eos, correptisq́ operiri lapillis: mobilitatemq́ pondere stabilientes, nolunt uolutatione spinas atterere. Quod ubi uidere nautici, statim pluribus ancoris nauigia infrenant.

De Cochleis Cap. XXXII.

IN eodem genere sunt cochleæ, aquatiles, terrestresq́ exerentes se domicilio, binaq́ ceu cornua protendentes contrahentesq́. Oculisq́ carẽt, ideo corniculis prætentant iter.

De pectinibus, & unguibus, & murice, & concharum generibus. Cap. XXXIII.

PEctines in mari ex eodem genere habentur. Reconditi & ipsi in magnis frigoribus, ac magnis æstibus, unguesq́ uelut igne lucentes in tenebris, etiam in ore mandentium. Firmioris iam testæ murices, & concharum genera, in quibus magna ludentis naturæ uarietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ, planis & concauis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæsis, in dorsum elatis, leuibus, rugatis, denticulatis, striatis, uertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato, iam distinctione uirgulata, crinita, crispa, cuniculatim, pectinatim, imbricatim undata, cancellatim reticulata, in obliquũ, in rectũ expansa, prædensata, porrecta, sinuata, breui nodo ligatis, toto latere connexis, ad plausum apertis, ad buccinã recuruis. Nauigant ex his Neritæ: præbentesq́ concauam sibi partem, & alteram auræ opponentes, per summa æquorum uelificant. Saliunt pectines, & extra uolitant, seq́ & ipsi carinant.

A Lunæ mutatione hæ similitudines sumuntur. stiriatis. i. ueluti sulcatis & cauatis sparsim. Muricatim, muricis modo formatis. uirgulata, uirgulis distincta. Cancellatim, modo cancellorum, hoc est lignorum transuersim dispositorum.

Cuniculatim, cuniculorum modo. Sunt autem cuniculi fossæ subterraneæ, alias animalcula quædam sic dicta, quod cuniculos, id est, fossas in terra defodiant, a leporibus non multum differentia, unde quidam eos tertiam leporum speciem affirmant. Carinant. i. carinæ in modum formant. Hic illud adnotandum, quod plerasque ex his formulis citius quis animo imaginari possit, quã uerbis expresserit, in quo certe Plinius mirus ubique artifex habetur.

De diuitijs marinis. Cap. XXXIIII.

SEd quid hęc tam parua commemoro, cum populatio morum atq; luxuria non aliunde maior quàm e conscharum genere proueniat? Iam quidem ex tota rerũ natura damnosissimum uentri mare est, tot modis, tot mensis, tot piscium saporibus, quibus pretia capientium periculo fiunt.

Populatio, euersio, ab hostibus sumpta translatione. Pretia cap. i. tanto periculo capiuntur pisces ut ob id pretia augeantur.

Quomodo nascantur, & ubi, & quomodo inueniantur margaritæ. Cap. XXXV.

SEd quota hæc portio est reputantibus purpuras, conchylia, margaritas? Parum scilicet fuerat in gulas cõdi maria, nisi manibus, auribus, capite, toto corpore à feminis iuxta uirisq; gestarentur. Quid mari cum uestibus? Quid undis fluctibusq; cum uellere? Non recte recipit hic nos rerum natura nisi nudos. Esto, sit tanta uentri cum eo societas: quid tergori? Parum sit, nisi qui uescimur, periculis etiam uestiamur. Adeo per totum corpus animæ hominis periculo quæsita maxime placent. Principium ergo culmenq; omnium rerum pretij, margaritæ tenẽt. Indicus maxime has mittit oceanus. Inter illas beluas tales tantasq;, quas diximus, per tot maria uenientes, tam longo terrarum tractu, e tantis solis ardoribus, atq; Indicis quoq; insulis petunt, & admodum paucis. Fertilissima est Taprobane & Thoidis, ut diximus in circuitu mundi. Item Perimula promontorium Indiæ. Præcipue autem laudãtur circa Arabiam in Persico sinu maris rubri. Origo autẽ atq; genitura conchæ,

Pur. con. ut ex quibus colores colliguntur ad tingendum uestes, ad luxũ magis quam ad usũ.

Si non nudos reciperet nos hic natura, non recte nos reciperet, imo improbe nobiscum ageret. Ani. hom. i. uitæ imo uoluptati hominis.

lib. 6. cap. 25.

est haud multum ostrearum conchis differens. Has ubi genitalis anni stimulauerit hora, pandētes sese quadam oscitatione impleri roscido cōceptu tradunt, grauidas postea eniti, partūq; concharū esse margaritas, pro qualitate roris accepti: si purus influxerit, candorem cōspici: si uero turbidus, & fœtum sordescere: eundem pallere, cœlo minante, conceptum, ex eo quippe constare, cæliq; eis maiorem societatem esse, q̄ maris, inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina serenum. Si tē pestiue satientur, grandescere & partus. Si fulguret, cōprimi conchas, ac pro ieiunij modo minui. Si uero & tonuerit, pauidas ac repente compressas, quæ uocant physemata, efficere speciem, uerū inani inflatam sine corpore: hos esse concharum abortus. Sani quidē partus multiplici constant cute, non improprie callum ut existimari corporis possit, itaq; & purgantur à peritis. Miror ipso tātum eas cœlo gaudere, sole rubescere, candoremq; perdere ut corpus humanum. Quare præcipuum custodiunt, pelago altius mersæ, q̄ ut penetrent radij. Flauescunt tamen & illæ in senecta, rugisq; torpescunt, nec nisi in iuuenta constat ille, qui queritur, uigor. Crassescūt etiam in senecta, conchisq; adhærescūt, nec ab illis auelli queunt, nisi lima. Quibus una tantum est facies, & ab ea rotunditas, auersis planicies, ob id tympana nominantur. Cohærentes uidemus in conchis hac dote unguenta circumferentibus. Cætero in aqua mollis unio, exemptus protinus durescit. Concha ipsa cum manum uidet, comprimit sese, operitque opes suas, gnara propter illas se peti: manumque si præueniat, acie sua abscindit, nulla iustiore pœna, & alijs munita supplicijs. Quippe inter scopulos pars maior inuenitur, sed in alto quoque comitantur marinis canibus, nec tamen aures

fœ-

cœlo minante. i. impendente pluuia.

Physemata ab inflando dicuntur, quod huiusmodi conchæ speciem efficiant, ut Plin. ait, inani, hoc est aere inflatam, ac perinde sine corpore ad modum bullarum, quæ ex crassa pluuia repente nascūtur in aquis, & repente euanescūt, physemata ergo bullæ siue inflationes.

fœminarum arcentur. Quidam tradunt, ſicut apibus, ita concharum examinibus ſingulas magnitudine & uetuſtate præcipuas eſſe ueluti duces, miræ ad cauendum ſolertiæ: has urinantium cura peti, illis captis facile cæteras palantes retibus includi. Multo deinde obrutas ſale in uaſis fictilibus, eroſa carne omni, nucleos quoſdam corporum, hoc eſt, uniones decidere in ima. Vſu atteri non dubium eſt, coloremque indiligentia mutari. Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, leuore, pondere, haud promptis rebus, in tantum, ut nulli duo reperiantur indiſcreti: unde nomen unionum Romanæ ſcilicet impoſuere delitiæ. Nam apud Græcos non eſt, nec apud barbaros inuentores eius aliud quam margaritæ. Et in candore ipſo magna differentia. Clarior in rubro mari repertus. Indicus ſpecularium lapidum ſquamas aſſimilat, alias magnitudine præcellens. Summa laus coloris eſt exaluminatos uocari. Et procerioribus ſua gratia eſt. Elenchos appellant faſtigiata longitudine, alabaſtrorum figura in pleniorem orbem deſinentes. Hos digitis ſuſpendere, & binos ac ternos auribus, fœminarum gloria eſt. Subeunt luxuriæ eius nomina & tædia exquiſita perditiore portatu. Siquidem cum id fecere, crotalia appellant, ceu ſono quoque gaudeant, & colliſo ipſo margaritarum. Affectantque iam & pauperes licitatorem fœminæ, in publico unionem eſſe dictantes. Quin & pedibus, nec crepidarum tantum obſtragulis, ſed totis ſocculis addunt. Neque enim geſtare iam margaritas, niſi calcent, ac per uniones etiam ambulent, ſatis eſt.
In noſtro mari reperiri ſolebant. Crebrius circa

Niſi calcent, Calcare margaritas, eſt eas addere calciamentis.

Bosphorum Thracium, ruffi ac parui in conchis, quas myas appellant. At in Acarnania, quæ uocatur, pinna gignitur. Quo apparet nõ uno conchę genere nasci. Nã & Iuba tradit Arabicis concham esse similem pectini in secto, hirsutam echinorũ modo, ipsum unionem in carne ipsa esse grandini similem. Conchæ non tales ad nos afferuntur. Nec in Acarnania ante laudati reperiuntur enormes & feri, colorisq́ marmorei. Meliores circa Actium, sed & hi parui: Et in Mauritaniæ maritimis. Alexander Polyhistor & Sudines senescere eos putant, coloremq́ expirare. Eorum corpus solidum esse manifestum est, quod nullo lapsu franguntur. Non autem semper in media carne reperiuntur, sed alijs atq; alijs locis. Vidimusq́ iam extremis etiam marginibus uelut e cõcha exeuntes, & in quibusdam quaternos quinosq́. Põdus ad hoc æui semuncię pauci singulis scrupulis excessere. In Britannia paruos atq; decolores nasci certũ est. Quoniam diuus Iulius thoracem, quem Veneri genitrici in templo eius dicauit, ex Britannicis margaritis factũ uoluerit intelligi. Lolliam Paulinam, quæ fuit Caij principis matrona, nec serio quidem aut solenni ceremoniarũ aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœna, uidi smaragdis margaritisq́ opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus digitisq́, quæ summa quadringenties sestertium colligebat: ipsam confestim paratam nuncupationem tabulis probare. Nec dona prodigi principis fuerant, sed auitæ opes, prouinciarum scilicet spolijs partæ. Hic est rapinarum exitus, hoc fuit quare M. Lollius infamatus regum muneribus in toto oriente, interdicta amicitia a Caio Cęsare Augusti filio, uenenum biberet, ut neptis eius cccc. HS. operta spectaretur ad lucernas.

spiris .i. crinibus spiræ in modum inuolutis, spira autem dicitur funis nauticus in orbem conuolutus.

H.S. sestertium

Com-

Computet nunc aliquis ex altera parte, quantum Curius aut Fabritius in triumphis tulerint, & imaginetur eorum fercula, & ex altera parte Lolliam, unā imperij muliercul am accubātem, nō illos curru detractos, quàm in hoc uicisse malit? Nec hæc summa luxuriæ exempla sunt. Duo fuere maximi uniones per omne æuum, utrumque possedit Cleopatra, Aegypti reginarum nouissima, per manus orientis regum sibi traditos. Hæc cum exquisitis quotidie Antonius saginaret epulis, superbo simul ac procaci fastu, ut regina meretrix lautitiā eius omnē, apparatumque detrectans, quærente eo quid astrui magnificentiæ posset? Respondit, una se cœna centies sestertium absumpturam. Cupiebat discere Antonius, sed fieri posse non arbitrabatur. Ergo sponsionibus factis, postero die, quo iudicium agebatur, magnificam aliàs cœnam, ne dies periret, sed quotidianam Antonio apposuit, irridenti, computationemque expostulanti. At illa corollarium id esse, consumpturamque se ea in cœna taxationem confirmans, solamque se centies sestertium cœnaturam. Inferri mensam secundam iussit. Ex præcepto ministri unum tantum uas ante eam posuere aceti, cuius asperitas uisque in tabem margaritas resoluit. Gerebatque auribus tum maxime singulare illud, & uere unicū naturæ opus. Itaque spectante Antonio, quidnam esset actura, detractum alterum mersit, ac liquefactū absorbuit. Iniecit alteri manum L. Plancus iudex sponsionis eius, eum quoque parāti simili modo absumere, uictumque Antonium pronunciauit, homine irato. Comitetur fama unionis eius parem, capta illa tantæ quæstionis uictrice regina dissectum, ut esset in utrisque Veneris auribus Romæ in Pantheo dimidia eorum cœna. Non ferent tamē hanc palmam, spoliabunturque etiam luxuriæ gloria.

Fercula dicuntur nonnunquam triumphalis pompæ gestamina, a ferendo, quo nomine continentur simulacra deorum, oppidorū, spolia hostiū &c.

Tabem, i. liquorē

X Pri-

Prior id fecerat Romæ in unionibus magnæ taxationis Clodius tragœdi Aesopi filius, relictus ab eo in amplis opibus hęres, ne in triumuiratu suo nimis superbiat Antonius pene histrioni comparatus: & quidem nulla spōsione ad hoc productus, quo id magis regium erat, sed ut experiretur in gloria palati, quid saperent margaritę: atq; mire placuere, ne solus hoc sciret, singulos uniones conuiuis ad sorbēdum dedit. Romæ in promiscuum ac frequentem usum uenisse, Alexandria in ditionem redacta. Primum autem cœpisse circa Syllana tempora minutas & uiles. Fenestella tradit manifesto errore, cū Aelius Stilo Iugurthino bello unionum nomen impositū maxime grandibus margaritis prodat. Et hoc tamen ęternæ prope possessionis est. Sequitur hæredem, in mancipatum uenit ut prædium aliquod. Conchylia & purpuras omnis ora atterit, quibus eadē mater luxuria pene etiam margaritis pretia fecit.

De natura purpuræ & muricis. Cap. xxxvi.

PVrpuræ uiuunt annis (plurimum) septenis. Latent sicut murices circa canis ortum tricenis diebus. Cōgregantur uerno tempore, mutuoq; attritu lentorē cuiusdam ceræ saliuant. Simili modo & murices. Sed purpuræ florem illum tingendis expetitum uestibus, in medijs habent faucibus. Liquoris hic est minimi in candida uena, unde pretiosus ille bibitur nigrantis rosæ colore sublucēs. Reliquum corpus sterile. Viuas capere cōtendunt, quia cum uita sua succum illum euomunt. Et maioribus quidem purpuris detracta concha auferunt, minores trapetis frangunt, ita demum rorem eum excipientes Tyrij. Præcipuus hic Asiæ, in Meningæ Aphricæ, & Getulo littore oceani, in Laconica Europæ. Hinc fasces securesq; Romanæ uiam faciunt, idemq; in pueri

Trapeta torcularia sunt, quibus oliuæ frangūtur

tia eſt. Diſtinguit ab equite curiam, dijs aduocatur placandis, omnemque ueſtem illuminat: in triumphali miſcetur auro, quapropter excuſata & purpurę ſit inſania. Sed unde conchylijs pretia? Quis uirus graue in fuco, color auſterus in glauco, & iraſcenti ſimilis mari? Lingua purpurę longitudine digitali, qua paſcitur perforando reliqua conchylia: tāta duritia aculeo eſt. Aqua dulci enecantur, & ſicubi flumini immerguntur: alioquin captæ, diebus quinquagenis uiuunt ſaliua ſua. Conchæ omnes celerrime creſcunt, præcipue purpuræ: anno magnitudinem implent. Quod ſi hactenus tranſcurrat expoſitio, fraudatam ſe protinus luxuria credat, nos indiligentiæ damnet. Quamobrem perſequemur etiam officinas, ut tanquam in uictu frugum noſcitur ratio, ſic omnes (qui iſtis gaudent) præmia uitę ſuæ calleant, Concharum ad purpuras & conchylia eadem quidem eſt materia, ſed diſtat temperamento. Duo ſunt genera: Buccinum minor concha, ad ſimilitudinem eius buccini, quo ſonus editur: unde & cauſſa nomini, rotunditate oris in margine inciſa. Alterum purpura uocatur, caliculatim procurrente roſtro, & caliculi latere introrſus tubulato, qua proferatur lingua. Præterea clauatum eſt ad turbinem uſque, aculeis in orbem ſeptenis ferè, qui non ſunt buccino, ſed utriſque orbes totidem, quot habent annos. Buccinum non niſi petris adhæret, circaq́ſ ſcopulos legitur.

ut tanquam in uictu. Senſus eſt, ut ſicut ratio frugum noſcitur in uictu, id eſt, in uiuendi ratione, ſic omnes qui iſtis delitiis gaudent, calleāt præmia uitæ ſuæ. Tubuli ſunt authoribus Victruuio & Plinio, quibus aquæductus extruuntur, qui & ita diſponuntur, ut alius in alium ire conuenireque poſſit Clauatum, hoc eſt, aculeis clauorum modo prominentibus circundatum.

Quot sunt genera. Cap. XXXVII.

PVrpuræ, nomine alio pelagiæ uocantur. Earum genera plura, pabulo & solo discreta. Lutense putri limo, & algense enutritum alga, uilissimum. Vtrisq; melius Teniense in Tenei maris ora collectum. Hoc quoq; tamen etiamnum leuius atq; dilutius. Calculosæ appellantur à calculo maris, mire apto cōchylijs, & lōge optimo purpuris. Dialutense, id est, uario soli genere pastū. Capiūtur autem purpuræ paruulis rarisq; conchis textu, ueluti nassis in alto iactis. Inest ijs æsca, clusiles mordacesq; conchæ, quales uidemus has semineces, sed redditas mari auido hiatu reuiuiscentes. Appetunt eas purpuræ, porrectisq; linguis infestant. At illæ aculeo extimulatæ claudunt sese, comprimuntq; mordentia. Ita pēdentes auiditate sua purpuræ tolluntur.

Quo capiantur tempore. Cap. XXXVIII.

CApi eas post canis ortum, aut ante uernum tempus utilissimū: quoniam cum fœtificauere, fluxos habēt succos. Sed id tingentium officinæ ignorant, cum summa uertatur in eo. Eximitur postea uena quam diximus cui addi salem necessarium, sextarios ferm'e in libras cētenas. Macerari triduo iustum. Quippe maior uis tanto quanto recentior. Feruere in plumbo, singulisq; aquæ amphoris centenas atq; quinquagenas medicaminis libras æquari, ac modico uapore torreri, & ideo longinquæ fornacis cuniculo. Ita despumatis subinde carnibus, quas hæsisse uenis necesse est, decimo ferm'e die liquatis cortina, uellus elutriatum mergitur in experimētum: et donec spei satisfiat, uritur liquor. Rubeus color nigrāte deterior. Quinis lana potat horis, rursusq; mergitur carminata, donec omnem ebibat saniem. Buccinū per se damnatur, quoniam fucum remittit. Pelagio ad- mo-

fluxos, & ideo inutiles.

medic. i. succi, coloris & saniei. liquari pro æquari legendum putat Stephanus Aquæus, sed scriptum exemplar habet, æquari.

modum alligatur, nimiæq; eius nigritiæ dat austeritatē illam, nitorem'que qui queritur, cocci. Ita permixtis uiribus alterum altero excitatur aut astringitur. Summa medicaminum in libras uellerum, buccino ducente, pelagio cxi. Ita fit amethysti color eximius ille. At Tyrius pelagio primum satiatur immatura uiridiq; cortina: mox permutatur in buccino. Laus ei summa, in colorē sanguinis concreti, nigricans aspectu, idemq; suspectu refulgēs. Vnde & Homero purpureus dicitur sanguis.

Cortina uasis genus est rotundi tres pedes habentis.

Hom. lib. Od. 18.

Romæ quando usus purpuræ. Cap. XXXIX.

PVrpuræ usum Romę semper fuisse uideo, sed Romulo in trabea. Nam toga prętexta & latiore clauo Tullum Hostilium'e regibus primum usum Hetruscis deuictis constat. Nepos Cornelius, qui diui Augusti principatu obijt: Me, inquit, iuuene uiolacea purpura uigebat, cuius libra denarijs cētum uenibat, nec multo post rubra Tarentina. Huic successit dibapha Tyria, quæ in libras, denarijs mille non poterat emi. Hac Lentulus Spinter ædilis curulis primus in prætexta usus improbatur: qua purpura quis iam non, inquit, triclinaria facit? Spinter ædilis fuit urbis conditæ anno septuagesimo, Cicerone consule. Dibapha tunc dicebatur, quę bis tincta esset, ueluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes penè commodiores purpuræ tinguntur. In cōchyliata ueste cætera eadem sine buccino, præterq; ius temperaturæ. Aeque pro indiuiso humani potus excremēto dimidia & medicamina adduntur. Sic gignitur laudatus ille pallor saturitate fraudata, tantoq; dilucidior, quanto magis uellera esuriunt.

in li. cuius libra non poterat emi denariis mille.

De pretio earum. Cap. XL.

PRetia medicamento sunt quidem pro fertilitate littorum uiliora. Non tamen usq; pelagij libras quinqua

medic. colori, tincturæ.

genos nummos excedere, & buccini cētenos sciant, qui ista mercantur immenso. Sed alia sunt, nec habēt finem uitia. Iuuatq; ludere impendio, & lusus geminare miscē do iterum, & ipsa adulterare adulteria naturæ, sicut testudines tingere, argentum auro confundere ut electra fiant, addere his æra, ut Corinthia.

De tingendo amethysteno, & ex cocco byssino Cap. XLI.

NOn est satis abstulisse gemmæ nomen amethystum, rursum absolutus inebriatur Tyrio, ut sit ex utroq; nomen improbum tyriamethystus, simulq; luxuria duplex. Et cum confecere conchylia, transire melius in Tyrium putant. Pœnitentia hoc primum debet inuenisse, artifice mutāte quod damnabat, inde ratio est nata. Votum quoque factum e uitio portentosis ingenijs, & gemina demonstrata uia luxuriæ, ut color alius operiret alio, suauior ita fieri leuiorq; dictus. Quin & terrena miscere, coccoq; tinctū tyrio tingere, ut fieret bis byssinū. Coccum Galatiæ rubens granum, ut dicemus in terrestribus, aut circa Emeritam Lusitaniæ in maxima laude est. Verum ut simul peragātur nobilia pigmenta, anniculo grano languidus succus, idem a quadrimo euanidus. Ita nec recenti uires, neq; senescenti. Abunde tractata est ratio, qua se uirorum iuxta, fœminarumq; forma credit amplissimam fieri.

Hysginum quidā legendum putāt, uam hysginum est color cocci neo non absimilis, a quo Græci uestes hysginobaphes appellant, hoc colore uidelicet tinctas.

De pinna & pinnothere, & aquatilium sensu. Caput xlij.

COncharum generis et pinna est. Nascitur in limosis subiecta semper, nec unquam sine comite, quem pinnotheren uocant, alij pinnophylacem: id est, squilla parua, alibi cancer dapis assectator. Pandit se pinna, luminibus orbum corpus intus minutis piscibus præbens. Assul-

ſultant alij protinus,& ubi licētia audax creuit, implēt eam. Hoc tempus ſpeculatus index, morſu leui ſignifi= cat. Illa ore compreſſo, quicquid inclusit exanimat, par= tēq; ſocio tribuit. Quo magis miror, quoſdam extimaſ= ſe, aquatilibus nullū ineſſe ſenſum. Nouit torpedo uim ſuam ipſa nō torpens, merſaq; in limo ſe occultat, piſces qui ſecuri natantes obtorpuere, corripiens. Huius ieco ri teneritas nulla præfertur. Nec minor ſolertia ranæ, quæ in mari piſcatrix uocatur: eminentia ſub oculis cor nicula turbato limo exerit, aſſultantes piſciculos pertra hēs, donec tam prope accedant, ut aſſiliat. Simili modo ſquatina & rhombus abditi pinnas exertas mouent ſpe cie uermiculorum: itemque quæ uocatur raia. Nam pa ſtinaca latrocinatur ex occulto, tranſeūtes radio (quod telum eſt ei) figens. Argumenta ſolertiæ huius, quod tardiſſimi piſcium hi, mugilem uelociſſimum omnium habentes in uentre reperiuntur.

Index, comes uidelicet ille, qui pinnother ſiue pinnophylax dictus eſt.
Sub oculis, ante oculos, ob oculos.

De ſcolopendris, uulpibus, & glanis. Caput xliij.

SColopendræ terreſtribus ſimiles, quas centipedes uo cant, hamo deuorato omnia interanea euomunt, do= nec hamum egerant, deinde reſorbent. At uulpes mari næ ſimili in periculo glutiunt amplius uſque ad infirma lineæ, quæ facile prærodant. Glanus, qui & glanis uoca tur, auerſus mordet hamos, nec deuorat, ſed æſca ſpoli= at.

Glutiunt ſcilicet hamum. Infirma, infirmas lineæ partes, quæ quas.
Glanius legitur in manu ſcripto exemplari.

De

De arite pisce. Cap. XLIIII.

GRassatur aries, ut latro: & nunc grandiorum nauiũ in salo stantium occultatus umbra, si quem nãdi uoluptas inuitet, expectat: nũc elato extra aquam capite, piscantiũ cymbas speculatur, occultusq; adnatans mergit.

De his quæ tertiam naturam habent, non animalium, non fruticum, & de urticis & spongijs.

Caput XLV.

EQuidem & his sensum inesse arbitror, qui nec animalium, neq; fruticũ, sed tertiam ex utroq; naturam habent, urticis dico & spõgijs. Vrticæ noctu uagantur, noctuq; mutantur, carnosæ frondis. Iis natura, ut carne uescantur. Vis pruritu mordax, eademq; quę terrestris urticæ. Contrahit ergo se q; maxime rigens, ac prænatante pisciculo frondem suam spargit, complectensq; deuorat. Alias marcenti similis, & iactari se passa fluctu algæ uice, contactos pisces, attrituq; petræ scalpentes pruritum inuadit. Eadem noctu pectines & echinos perquirit. Dum admoueri sibi manum sentit, colorem mutat, & contrahitur. Tacta uredinem mittit, paulumq; si fuerit interualli, absconditur. Ora ei in radice esse traduntur, excrementa per summa tenui fistula reddi. Spongiarum tria genera accepimus, spissum, ac prædurum, & asperum. Tragos id uocatur: minus spissum & mollius manon: tenue densumq;, ex quo penicilli, Achilleũ. Nascuntur omnes in petris, aluntur conchis, pisce, limo. Intellectum inesse ijs apparet: quia ubi auulsorem sensere, contractæ multo difficilius abstrahuntur. Hoc idem fluctu pulsante faciunt. Viuere æsca, manifesto, conchę minutæ in ijs repertæ ostendunt. Circa Toronem uesci illis auulsas etiam aiunt, & ex relictis radicibus recresce-

Car. fron. Nulla huic testa, sed corpus omni ex parte carnem præ se fert, Arist. libro 8 cap. primo.

Manon. i. rarum.

Torone oppidũ Macedoniæ

re. In petris cruoris quoq; inhæret color, Africis præcipue quæ generantur in Syrtibus. Maximæ fiunt manæ, sed mollissimæ circa Lyciam. In profundo autem nec uẽtoso molliores. In Hellespõto asperę, & densæ circa Maleam. Putrescunt in apricis locis, ideo optimæ in gurgitibus. Viuentibus itemq; madentibus nigricans color. Adhærent nec parte, nec totæ, intersunt autem fistulæ quædam inanes, quaternæ fere aut quinæ, per quas pasci existimantur. Sunt & aliæ, sed supernæ concretæ. Et subesse membrana quædam radicibus earum intelligitur. Viuere cõstat longo tempore. Pessimum omnium genus earum est, quæ aplysiæ uocantur, quia elui nõ possunt, in quibus maximæ sunt fistulæ, & reliqua densitas spissa.

Malea promontorium est in troade, ubi Græci capta Troia naufragium fecerunt.

Aplysiæ a Theodoro quod non lauẽtur illotariæ dicuntur.

De caniculis marinis. Cap. XLVI.

CAnicularum maxima multitudo circa eas urinãtes graui periculo infestat. Ipsi ferunt ut nubem quandam crassescere super capita animalium, planorum piscium similem, premẽtem eos, arcentemq; a reciprocãdo, & ob id stilos præacutos lineis annexos habere sese: quia nisi perfossæ ita, non recedant, caliginis & pauoris (ut arbitror) opere. Nubẽ enim & nebulã (cuius nomine id malũ appellãt) inter animalia illa haud ultra cõperit quisquã. At cum caniculis atrox dimicatio. Inguina & calces omnemq; candorem corporum appetunt. Salus una in aduersas eundi, ultroq; terrendi. Pauet enim hominem æque ac terret. Et sors ęqua in gurgite. Vt ad summa aquæ uẽtum est, ibi periculum anceps, adempta ratione contra eundi, dum conetur emergere. Et salus omnis in socijs: funem illi religatũ ab humeris eius trahunt: hunc dimicans, ut sit periculi signum, læua quatit, dextra apprehenso stilo in pugna est: modicus alias tra-

Multitudinem canicularum dicit nubis cuiusdam instar crassescere.

ctus. Vt prope carinam uentum est, nisi præceleri repẽte ui rapiant, absumi spectant. Ac sæpe iam subducti, è manibus auferuntur, si non trahentium ope conglobato corpore in pilæ modum, ipsi se adiuuere. Protendunt quidem tridentes illi, sed monstri solertia est nauigium subeundi, atq; ita è tuto præliandi. Omnis ergo cura ad speculandum hoc malum insumitur. Certissima est securitas uidisse planos pisces: quia nunq; sunt, ubi maleficę bestiæ, qua de caussa urinantes sacros appellant eos.

De animantibus quæ silicea testa, & quæ sine uillo includuntur, & reliquis sordidis animalibus. Cap. XLVII.

SIlicea testa inclusis fatendum est nullum esse sensum, ut ostreis. Multis eadem natura, quæ frutici, ut holothurijs, pulmonibus, stellis. Adeoq; nihil non gignitur in mari, ut cauponarum etiam æstiua animalia, pernici molesta saltu, aut quæ capillus maxime cœlat, existant, & circumglobata escæ sæpe extrahuntur: quæ caussa somnium piscium in mari noctibus infestare existimatur. Quibusdam uero ipsis innascũtur, quo in numero chalcis accipitur.

Chalcis diro infestatur uicio, ut pediculi sub brãchiis innati quã multi interimãt.

De uenenatis marinis. Cap. xlviij.

NEc uenena cessant dira, ut in lepore: q in Indico mari etiam tactu pestilens, uomitum dissolutionemq; stomachi protinus creat: in nostro offa informis, colore tantum lepori similis: in Indis, & magnitudine, & pilo duriore. Tantum uiuus ibi capitur. Aeque pestiferum animal araneus, spinæ in dorso aculeo noxius, sed nullum usq; execrabilius quàm radius super caudam eminẽs trygonis, quam nostri pastinacam appellant. Quin conchylij magnitudine arbores infixus radici necat. Arma ut telum perforat & ferri & ueneni malo.

Trygonis pastinaca dicitur latinis.

De

De morbis piſcium. Cap. XLIX.

MOrbos uniuerſa genera piſcium, ut cætera anima-lia etiam fera, non accipimus ſentire. Verum ęgrotare ſingulos manifeſtum facit aliquorum macies, cum in eodem genere præpingues alij capiantur.

De generatione eorum mira.

Cap. L.

Quonam modo generent, deſyderium & admiratio hominum differri non patitur. Piſces attritu uentrium coeunt, tanta celeritate ut uiſum fallant. Delphini & reliqua cete ſimili modo, & paulo diutius. Fœmina piſcis coitus tempore marem ſequitur, uentrē eius roſtro pulſans: ſub partu mares fœminam ſimiliter, oua ueſcentes eorum. Nec ſatis eſt generationi per ſe coitus, niſi editis ouis, inter ſe uerſando mares & fœminæ uitale aſperſerint uirus. Non omnibus id contingit ouis in tanta multitudine, alioquin replerētur maria & ſtagna, cum ſinguli uteri innumerabilia concipiant.

uirus. i. ſemē prolificum.

Item de generatione, & qui piſces oua pariant. Cap. LI.

PIſcium oua in mari creſcunt, quædam ſumma celeritate, ut murenarum, quædam paulo tardius. Plani piſcium, quibus cauda non obeſt aculeique, ut teſtudines & Raiæ, in coitu ſuperueniunt. Polypi crineuno fœminæ naribus adnexo. Sepiæ & loligines linguis, componentes inter ſe brachia, & in contrarium nantes, & pariunt ore. Sed polypi in terram uerſo capite coeunt. Reliqua mollium tergis, ut canes. Item locuſtæ & ſquillæ, cancri, ore. Ranæ ſuperueniunt, prioribus pedibus alas fœminæ mare apprehendente, poſterioribus clunes. Pariunt minimas

carnes nigras,quas gyrinos uocant,oculis tantũ & cau-
da insignes:mox pedes figurantur, cauda findente se in
posteriores. Mirumq́;, semestri uita resoluũtur in limũ
nullo cernente,& rursus uernis aquis renascuntur, quæ
fuere natę,perinde occulta ratione,cum omnibus annis
id eueniat. Et mituli & pectines sponte naturæ in hare-
nosis proueniunt. Quæ durioris testæ sunt,ut murices,
purpuræ,saliuario lentore. Sicut acescente humore cu-
lices,atq; spuma maris incalescẽte, cum admissus est im
ber. Quæ uero siliceo tegmine operiuntur,ut ostrea,pu
trescente limo,aut spuma circa nauigia diutius stante,
defixosq́; palos,& lignum maxime. Nuper compertũ
in ostrearijs,humorem ijs fœtificum lactis modo efflue-
re. Anguillę atterunt se scopulis,ea strigmẽta uiuiscũt,
nec alia est earum procreatio. Piscium diuersa genera
non coeunt,præter squatinam & raiam,ex quibus nasci
tur priori parte raiæ similis,& nomen ex utroq; compo
sitũ apud Grecos trahit. Quędam omni tẽpore anni gig
nuntur & in humore & in terra. Vere pectines,limaces
hirudines,eodem tempore euanescunt. Piscium autem
lupus et trichias bis anno parit,et saxatiles omnes. Mul
li ter,ut chalcis:cyprinus sexies,scorpiones bis ac sargi,
uere & autumno. Ex planis squatina sola bis, autumno
& uergiliarum occasu. Plurimi piscium tribus mensi-
bus,aprili,maio,iunio. Salpæ autumno:Spari,torpedo
squali circa equinoctium. Molles uere. Sepia omnibus
mensibus. Oua eius glutino atramento ad speciem uuæ
cohærentia,masculus prosequitur afflatu, alias sterile-
scunt. Polypi hyeme coeunt,pariunt uere oua tortili ui-
brata pampino,tanta fœcunditate,ut multitudinem o-
uorum occisi non recipiant cauo capitis,quæ prægnan-
tes tulere. Ea excludũt qnquagesimo die,e quibus mul-
ta

Spumæ generationem docet Galenus in secundum Aphorismo. Hippocratis librum.

ea strigm. id est, sordes.

Ex squatina & raia nascitur alius piscis qui dicitur a Theodoro squatinoraia & item squatraia.

Quædam omni. sic quidẽ ego hũc locum legendum esse arbitror etiã refragantibus exemplaribus,quippe qui apud Ari. lib. 5. cap. x lego, Murenam omnibus anni temporibus parere & exire in terram & cap. xii. sepiã quoque omni tẽpore parere, quæ & in terreno parit.

ta propter numerum intercidunt. Locustæ & reliqua te nuioris crustæ, ponunt oua supra oua, atque ita incubant. Polypus fœmina modo in ouis sedet, modo cauernam cancellato brachiorum implexu claudit. Sepia in terreno parit inter harundines, aut sicubi innata alga. Excludit quintodecimo die. Loligines in alto conserta oua ædunt, ut sepiæ, purpuræ, murices, eius denique generis, uere pariunt. Echini oua plenilunijs habent hyeme, & cochleæ hyberno tempore nascuntur. Torpedo octogenos fœtus habens inuenitur, eaque quæ intra se parit oua præmollia, in alium locum uteri transferens, atque ibi excludens. Simili modo omnia quæ cartilaginea appellauimus. Ita fit, ut sola piscium & animal pariant, & oua concipiant. Silurus mas solus omnium edita custodit oua sæpe & quinquagenis diebus, ne absumant ab alijs. Cæteræ fœminæ intriduo excludunt, si mas attigit. Acus siue belone unus piscium, dehiscente propter multitudinem utero parit. A partu calescit uulnus, quod & in Cæcilijs serpentibus tradunt. Mus marinus in terras scrobe effossa parit oua, & rursus obruit terra. Tricesimo die refossa aperit, fœtumque in aquam ducit.

Acus piscis nomẽ

De uuluis piscium. Cap. LII.

ERythini & chanæ uuluas habere traduntur: qui Trochos appellatur à Græcis, ipse se inire. Aquatilium omnium fœtus inter initia uisu carent.

De longissima uita piscium. Cap. LIII.

AEui piscium memorandum nuper exemplum accepimus. Pausilypum uilla est Campaniæ, haud procul Neapoli: In ea in Cæsaris piscinis à Pollione Vedio coniectum piscem, sexagesimum post annum expirasse scribit Anneus Seneca, duobus alijs æqualibus eius ex eodem genere etiam tunc uiuentibus: quæ mentio pisci

narum admonet, ut paulo plura dicamus hac de re, priusquàm digrediamur ab aquatilibus.

De uiuarijs ostrearum, & quis ea primus inuenerit. Cap. LIIII.

OStrearum uiuaria primus omnium Sergius Orata inuenit in Baiano, ætate L. Crassi oratoris, ante Marsicum bellum: nec gulæ caussa, sed auaritiæ, magna uectigalia tali ex ingenio suo percipiens, ut qui primus pensiles inuenit balineas, ita mangonizatas uillas subinde uendendo. Is primus optimum saporem ostreis lucrinis adiudicauit, quando eadem aquatilia genera aliubi atq; aliubi meliora. Sicut lupi pisces in Tyberi amne inter duos pontes, rhombus Rauennæ, murenæ in Sicilia, elops Rhodi: & alia genera similiter, ne culinarum censura peragatur. Nondum Britannica seruiebant littora, cum Orata Lucrina nobilitabat: postea uisum tanti in extrema Italia petere Brundusium ostreas, ac ne lis esset inter duos sapores, nuper excogitatum, famem longæ aduectionis à Brundusio, compascere in Lucrino. Eadem ætate prior Licinius Murena, reliquorum piscium uiuaria inuenit, cuius deinde exemplum nobilitas secuta est, Philippus, Hortẽsius, Lucullus exciso etiam monte iuxta Neapolim maiore impendio quam uillam ædificauerat, Euripum & maria admisit. Qua de caussa Magnus Pompeius Xerxem togatũ eum appellabat. Quadraginta sestertijs piscinæ à defuncto illo uenière pisces.

mangoniz. i. expolitas.

ut Numantinus & Isauricus deuictarum gentium ita Sergius Orata & L. Murena captorum pisciũ lætabantur uocabulis.

Quis primus murenarum uiuaria fecerit. Cap. LV.

MVrenarum uiuarium priuatim excogitauit C. Hirius ante alios, qui cœnis triumphalibus Cæsaris dictatoris sex milia numero murenarum mutuo appendit. Nam permutare quidem pretio noluit, aliáue mer-

appendit, hoc est diuendidit.

ce.

ce. Huius uillam intra q̃ modicam quadragies piscinæ
uendiderunt. Inuasit deinde singulorum pisciũ amor.
Apud Baulos in parte Baiana piscinam habuit Horten
sius orator, in qua Murenam adeo dilexit, ut exanima-
tam flesse credatur. In eadem uilla, Antonia Drusi, mu-
renæ quam diligebat inaures addidit, cuius propter fa-
mam nonnulli Baulos uidere concupiuerunt.

De cochlearum uiuarijs, & quis primus in- stituit. Cap. LVI.

COchlearum uiuaria instituit Fuluius Hirpinus in
Tarquiniensi, paulo ante ciuile bellum, quod cum
Pompeio Magno gestum est, distinctis quidem generi-
bus earũ, separatim ut essent albæ, quæ in Reatino agro
nascuntur: separatim Illyricæ, quibus magnitudo præci
pua: Africanæ, quibus fœcunditas: solitanæ, quibus no
bilitas. Quin & saginam earum cõmentatus est sapa &
farre, alijsq́ generibus, ut cochleæ quoq; altiles ganeã
implerent, cuius artis gloria in eam magnitudinem per
ductæ sunt, ut octoginta quadrantes caperent singula-
rum calices. Author est M. Varro.

Quadrans hoc lo co uasis uel men suræ nomen est. calices restæ qui bus teguntur.

De piscibus terrenis. Cap. LVII.

PIscium genera etiamnum à Theophrasto mira pro-
duntur, circa Babylonis rigua, decedentibus fluuijs
in cauernas, aquas hebetes remanere. Quosdam inde ex
ire ad pabula pennulis gradientes, crebro caudæ motu,
cõtraq́ uenãtes refugere in suas cauernas, et in ijs obuer
sos stare, capita eorũ esse ranæ marinæ similia, reliquas
partes gobiorũ, brãchias, ut cæteris piscibus. Circa He-
racleã & Toronẽ, & Lycũ amnẽ esse multifaria. In pon-
to unũ genus esse, qđ extremas fluminũ aquas sectet̃, ca-
uernasq́ sibi faciat in terra, atq; in ijs uiuat, etiã recipro
cis amnibus siccato littore. Effodi ergo, motu demũ cor
porũ uiuere eos apꝓbãt. Circa Heracleã eandẽ, eodẽq́
Ly-

Lyco amne decedente, ouis relictis in limo generari pisces, qui ad pabula petenda palpitēt exiguis branchijs: quod fieri nō indigo humoris: propter quod & anguillas diutius uiuere exemptas aquis. Oua autem in sicco maturari, ut testudinū. Eadem in Ponti regione apprehēdi in glacie piscium quosdam, maxime gobiones, nō nisi in patinarum calore uitalem motum fatentes. In his quidem, tametsi mirabilis, est tamen aliqua ratio. Idem tradit in Paphlagonia effodi pisces gratissimos cibis terrenos altis scrobibus, in his locis ubi nullæ restagnent aquæ, miraturq́; & ipse gigni sine coitu. Humoris quidem uim aliquam inesse quam puteis arbitratur, cū non nulli reperiantur pisces. Quicquid est, hoc certe minus admirabile talparum facit uita subterranei animalis, nisi forte uermium terrenorum & his piscibus natura est.

De muribus Nili. Cap. LVIII.

VErum omnibus his fidem Nili inundatio affert, omnia excedentem miracula. Quippe deturgente eo musculi reperiuntur inchoato opere genitalis aquæ terræq́;, iam parte corporis uiuentes, nouissima effigie etiamnum terrena.

De anthia pisce, & quomodo capiatur. Cap. LIX.

NEc de anthia pisce sileri conuenit. Itaq; plærosq; aduerto credidisse, apud Chelidonias insulas, quas diximus Asiæ scopulos, in mari ante Tauri promontoriū sitas, ibi frequens hic piscis, & celeriter capitur, uno genere, paruo nauigio, & concolori ueste, eademq́; hora, per aliquot dies continuos piscator enauigat certo spatio, æscamq́; proijcit. Quicquid ex eo mittitur, suspecta fraus prædæ est, cauensq́; quod timuit (cum id sæpe factum est) unus aliquando consuetudine inuitatus anthias, æscam appetit. Notatur hic intentione diligenti, ut au-

Quid si legas mutetur.

author spei, conciliaturque capturæ. Neque enim est difficile, cum per aliquot dies solus accedere audeat, tandem & aliquos inuenit paulatim comitatior. Postremo greges adducit innumeros, iam uetustissimis quibusque assuetis piscatorem agnoscere, & cibum e manu capere. Tum ille paulum ultra digitos in æsca iaculatus hamũ, singulos inuolat uerius quam capit, ab umbra nauis breui conatu abscedens, ita, ne cæteri sentiant alio intus excipiente centonibus raptum, ne palpitatio ulla aut sonus cæteros abigat. Conciliatorem nosse ad hoc prodest, ne capiatur. Parcit piscator fugitiuo in reliquum gregem. Ferũt discordem socium duci socij insidiatum pulchre noto cepisse malefica uoluntate, agnitum in macello a socio, cuius iniuria erat, & dati damni formula, ex ædicto condemnatum. Addidit Mutianus æstimata lite decem libris. Iidem Anthiæ cum unum hamo teneri uiderint, spinis quas in dorso setratas habent, lineam secare traduntur: eo qui tenetur extendente, ut præcidi possit. At inter sargos, ipse qui tenet, ad scopulos lineam terit.

decem lib. subaudi, cõdemnatum esse, qui socio iniuriam fecerat.

De Stellis marinis. Cap. LX.

PRæter hæc claros sapiẽtia authores uideo mirari stellam in mari. Ea figura est, parua admodum caro intus, extra duriore callo. Huic tam igneum feruorem esse tradunt, ut omnia in mari contacta adurat, omnem cibum statim peragat. Quibus sit hoc cognitum experimentis, haud facile dixerim. Multo mirabilius dixerim id, cuius experiendi quotidie occasio est.

De stella Aristo. lib. ix. cap. quin.

De dactylis, eorumque miraculis. Cap. LXI.

COncharum e genere sunt dactyli, ab humanorũ unguium similitudine appellati. His natura in tenebris remoto lumine, alio fulgore clarere, & quanto magis humorem habeant. Lucere in ore mandentium, lucere

in manibus, atq; etiam in solo, atq; ueste, decidẽtibus guttis: ut procul dubio pateat, succi illam naturam esse, quã miremur etiam in corpore.

De inimicitijs & amicitijs inter se aquatilium.
Caput LXII.

SVnt & inimicitiarum atq; concordiæ miracula. Mugil & lupus mutuo odio flagrant. Conger & murena, caudas inter se prærodentes. Polypum in tantum locusta pauet, ut si iuxta uiderit, omnino moriat̃. Locustam conger, rursus polypum congri lacerant. Nigidius autor est, prærodere caudam mugili lupum, eosdemq; statis mensibus concordes esse. Omnes aũt uiuere, quibus caudæ sic amputentur. At ẽ contrario amicitiæ exẽpla sunt, præter illos, de quorum societate diximus. Balenæ musculus quandoq;, prægraui superciliorum pondere obrutis eius oculis, infestantia magnitudinem uada prę natans demonstrat, oculorumq; uice fungitur.

Quot sint animalium omnium in mari uiuentium, hoc est, aquatilium genera: ex lib. xxxij. in quo de medicinis ex aquatilibus ex instituto tractat Plinius, cuius quidem libri hoc caput est ultimum & xi.

Peracta. s. arte medendi ex piscibus

PEracta aquatilium dote, non alienum uidetur indicare per tot maria tam uasta, & tot milibus passuum terræ infusa, extraq; circũdata mensura penẽ ipsius mũdi, quæ intelligantur animalia cẽtum septuaginta sex omnium generum esse, eaq; nominatim complecti, quod in terrestribus uolucribusq; fieri non quit. Neque enim omnis Indiæ Aethiopiæq; aut Scythiæ, desertorum'ue nouimus feras aut uolucres, cum hominum ipsorũ multo plurimæ sint differẽtiæ, quas inuenire potuimus. Accedat his Taprobane, insulæq; aliæ oceani fabulosę nar

ratæ. Profecto conueniet, non posse omnia genera in cõtẽplationem uniuersam uocari. At hercule in tanto mari oceano quæcũq; nascũtur certa sunt, notioraq; (quod miremur) quæ profundo natura mersit. Vt à beluis ordiamur, arbores, physeteres, balenæ, pristes, tritones, nereides, elephanti, homines qui marini uocantur, rotæ, orcæ, arietes, musculi, & alij piscium forma, arietes, delphini, celebresq; Homero situli. Luxuriæ uero testudines, & medicis fibri, quorum è genere lutras nusq; mari accepimus mergi, tantũ marina dicentes, iam caniculæ, dromones, cornutæ, gladij, serræ: cõmunesq; mari, terræ, amni, hippopotami, crocodili. Et amni tantũ ac mari thynni, thynnides, siluri, coracini, percæ. Peculiaris autem maris acipenser, aurata, asellus, acarne, aphya, alopetias, anguilla, araneus, box, batis, banchus, batrachus, belonæ, quos aculeatos uocamus, balanus, coruus cytharus. Chromborum genera, cyprinus, chalcis, cobio. Callarias asellorum generis, ni minor esset. Corias siue parianus, siue saxitanus à patria Bætica, lacertorũ minima. Ab his Mæotici, cybium (ita uocatur concisa pelamis, quæ post xl. dies è põto in Mæotin reuertitur) Cordyla, & hæc pelamis pusilla, cum in pontum è Mæotide exit, hoc nomen habet) cantharus, calyonymus, siue uranoscopus, cinædi soli piscium lutei: Gnide, quam nos urticam uocamus. Cancrorum gña, chametrachea, Chamæleos, chamæpelorides generis uarietate distantes & rotunditate. Chamæglyciamerides, quæ sunt maiores quàm pelorides, colycia, siue corophia. Concharũ genera, inter quæ & margaritiferæ cochleæ, quarum generis pentadactylus, melicembales, echinophoræ dicuntur, quibus cantant. Extra has sunt rotundæ

in oleario usu cochleæ, cucumis, cynopus, cammarus, cynosdexia, draco. Quidam aliud uolunt esse dracunculum. Est autem graculo similis. Aculeos in branchijs habet ad caudam spectantis. Sic & scorpio lædit dũ manu tollitur: erythinus, echeneis, echinus. Elephanti lo-custarum generis nigri, pedibus quaternis, bisulcis, prȩterea brachia duo, binis articulis, singulisꝙ forficulis denticulatis. Fabri siue zeus, glaucisci, glanius, gonger gerres, galeos, garus, hippus, hippuros, hirundo, hali-plieumon, hippocampos, hepar, helacathenes. Sunt la-certorum genera, loligo, uolitans, locustæ, lucernæ, li-paris, lamyrus, lepus, leones, quorum brachia cancris similia sunt, reliqua pars locustæ, mullus, merula inter saxatiles laudata, mugil, melanurus, mena, meryx, mure-na, mys, myllus, mystus, murex, oculata, ophidion, o-strea, otia, orycnon. Hic est pelamidum generis maxi-mus, neꝗ redit in Mȩotin, similis Tritoni, uetustate melior. Orphus, orthragoriscus, phager, phycis, saxatiliũ, pelamis, earum generis maxima apolectus uocatur, durior Tritone, phorcus, phytharus, passer, pastinaca. Po-lyporum genera, pectines maximi & nigerrimi æstate. Laudatissimi Mitylenis, Tyndaride, Salonis, Altini, an tij in insula Alexandriæ in Aegypto, pectũculi, purpu-ræ, parcides, pinna, pinnotheræ, rhina, quam squatinam uocamus, rhombus, scarus: principalis hodie. Solea, sargus, scylla, sarda (Ita uocatur pelamis longa ex oceano ueniens. Scomber, salpa, sparus, scorpena, scorpios, sciadeus, sciæna, scolopendra, smyrus, scepani, strombus, solen, siue aulos, siue donax, siue onyx, siue dactylus, spondylus, smarides, stella, spõgia. Turdus inter saxatiles nobilis, Tomus, thurianus, quẽ alij xiphiam uocant, thes-sa, torpedo, tethea. Triton pelamidum generis magni,

Hepar, in manuscripto exemplari est, hepareotinus.

ex

ex eo uræa cybia fiunt: Vrenæ, uua, xiphiæ. His adijciemus apud Ouidium posita nomina, quę apud neminem alium reperiuntur: sed fortassis in Ponto nascuntur, ubi id uolumen supremis suis tēporibus inchoauit, Bogyrū in scopulis uiuentem, orphum rubentem, rhacinumq́ pullum, pictas mormyras, aureiq́ coloris chryson. Præterea paruum teragum, & placentem cauda labrum, epodas lati generis. Præter hæc insignia piscium tradit channen ex seipsa concipere, glaucum æstate nunq́ apparere, pompiliū qui semper comitetur nauigiorū cursus, chromin qui nidificet in aquis. Helopem quoq́ dicit esse nostris incognitum undis. Ex quo apparet falli eos, qui eundem acipenserem existimauerunt. Helopi palmam saporis inter pisces multi dedere. Sunt præterea à nullo autore nominati, sudis latine appellata, à gręcis sphyræna rostro similis nomine, magnitudine inter amplissimos rarus, sed tamen non degener: & pernæ cōcharum generis, circa Pontias insulas frequentissimæ. Stant uelut suillo crure longo in harena defixæ, hiantesq́ qua limpitudo est, pedali non minus spatio. Cibū uenantur. Dentes in circuitu marginum habent pectinatim spissatos. Intus pro spondylo grandis caro est. Et hyænam piscē uidi in Aenaria insula captum, caput exerentē. Præter hæc purgamenta aliqua relatu indigna, & algis potius annumeranda quæ animalibus.

uræa cybia, i. salsamenta caudæ proxima.

Finis noni libri de piscibus.

☞ C. PLINII SECVNDI NATVRALIS HISTO riæ Liber XXXII. de medicinis ex aquatilibus.

PROOEMIVM.

VEntum eſt ut ad ſumma naturę, exemplorumq; per rerũ ordinem, & ipſum ſua ſponte occurrit immenſum potentiæ occultæ documentum, ut prorſus nec aliud ultrà quæri debeat, nec par aut ſimile poſſit inueniri, ipſa ſe uincẽte natura, & quidem numeroſis modis declarante. Quid enim uiolentius mari uentis' ue, & turbinibus ac procellis, quo maiore hominum ingenio in nulla ſui parte adiuta eſt quàm uelis remiſq;? Addatur his & reciproci æſtus inenarrabilis uis, uerſum'que totum mare in flumen.

De echeneide piſce, & mirabili eius proprietate, & torpedine, & marino lepore, & mirabilia rubri maris. Cap. I.

TAmen omnia hæc, pariterq; eodem impellentia, unus ac paruus admodũ piſciculus echeneis appellatus, in ſe tenet. Ruant uenti licet, & ſæuiant procellæ, imperat furori, uireſq; tantas compeſcit, & cogit ſtare nauigia: quod non uincula ulla, non ancoræ pondere irreuocabili iactæ. Infrenat impetus, & domat mundi rabiem nullo ſuo labore, non retinendo, aut alio modoq; adhærendo. Hęc tantilla, eſt ſatis contra tot impetus, ut uetet ire nauigia. Sed armatæ claſſes imponunt ſibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugne-

ne-

netur uelut e muris. Heu uanitas humana, cum rostra illa ære ferroq; ad ictus armata, semipedalis inhibere possit, ac tenere deuincta pisciculus. Fertur Actiaco Marte tenuisse prætoriam nauim Antonij, properantis circũire & exhortari suos, donec transiret in aliam. Ideoq; Cęsariana classis impetu maiore protinus uenit. Tenuit & nostra memoria Caij principis ab Astura Antium remigantis: ut res est, etiam auspicalis pisciculus. Siquidem nouissime tum in urbem reuersus imperator, suis telis confossus est. Nec longa fuit illius moræ admiratio, statim caussa intellecta, cum e tota classe quinqueremis sola non proficeret, & exilientibus protinus qui id quærerent, circa nauim inuenere adhærentem gubernaculo, ostenderuntq; Caio, indignanti hoc fuisse, quod se reuocaret, quadringentorumq; remigum obsequio contra se intercederet. Constabat peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuisset, nec idem polleret in nauigium receptus. Qui tunc, posteaq; uidere, eum limaci magnæ similem esse dicunt. Nos plurimorum opiniones posuimus in natura aquatilium, cum de eo diceremus. Nec dubitamus idẽ ualere ad omnia genera, cũ celebri & cõsecrato etiam exemplo apud Gnidiam Venerẽ, cõchas quoq; eiusdem potentiæ credi necesse sit. E nostris quidam latinis remoram appellauere eum. Mirumq; e Gręcis, alij lubricos partus atq; procidẽtes cõtineri ad maturitatẽ alligato eo (ut diximus) prodiderũt: Alij sale adseruatũ adalligatũq; grauidis ꝑtus soluere, ob id alio nomine odinolyontẽ appellauere. Quocũq; mõ ista se habeant, quis ab hoc tenendi nauigia exemplo, de ulla potentiæ naturæ atque effectu, in remedijs sponte nascẽtia rerũ dubitare debeat? Quin & sine hoc exẽplo, ꝓ se satis esset. Ex eodẽ mari torpedo etiã ꝓcul & e lõginq̃, uel si hasta ꝟgaue attingat̃, q̃uis ꝑualidos lacertos torpescere quã

Caligulæ Cæsar.

quilibet ad cursum ueloces alligari pedes facere prodi-tur. Quod si necesse habemus fateri hoc exēplo esse uim aliquam, quæ odore tantum & quadam aura sui corpo-ris afficiat membra, quid non de remediorum omnium momentis sperandum est? Non sunt minus mira quę de lepore marino tradūtur. Venenum est alijs in potu, aut in cibo datus, alijs etiam uisus. Siquidem grauidæ si o-mnino aspexerint fœminam ex eo genere duntaxat, sta-tim nausea & redundatione stomachi uitium fatentur, ac deinde abortum faciunt. Remedio est mas, ob id in-duratus sale, ut in brachialibus habeant. Eadē res in ma-ri & tactu quidem nocet. Vescitur eo unum tantū ani-malium, ut non intereat, mullus piscis, & tenerescit tan-tum, & ingratior uiliorq́ fit. Homines quibus in pastu est, piscem olent, hoc primo argumento ueneficium id deprehenditur. Cætero moriuntur totidem diebus, q̄t uixerit lepus. Incertiq́ temporis ueneficium id esse, au-tor est Licinius Macer. In India affirmant non capi uiuē tem, inuicemq́ ibi hominem pro ueneno esse, ac uel digi to omnino in mari tactum mori. Esse autem ampliorem multo, sicut reliqua animalia. Iuba in his uoluminibus quæ scripsit ad C. Cæsarem Augusti filium de Arabia, tradit uitulos marinos ternas heminas capere: Cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexa ginta latitudinis in flumen Arabiæ intrasse, pinguiq́ e-ius negociatores, & omnium pisciū adipe camelos per-ungi in eo situ, ut asilos ab his fugent odore.

Brachialia dicuntur brachiorum cum ornamenta, tum tegumenta.

De ingenijs & mansuetudine quorundam pisci-um, & ubi ex manu ædant, & ubi responsa dantur ex piscibus. Cap. II.

Mihi uidentur mira & quæ Ouidius prodidit pisciū ingenia, in eo uolumine, quod halieuticon inscri-bis

bitur. Scarum inclusum nassis non frōte erumpere, nec infestis uiminibus caput inserere, sed auersum caudæ ictibus crebris laxare fores, atq; retrorsum ita crūpere. Quem luctatum eius si forte alius scarus extrinsecus uideat, apprensa mordicus cauda adiuuare nixus erumpētis. Lupum piscem rete circundatum harenas arare cauda, atq; ita conditū transire rete. Murenam maculas appetere ipsas, consciam teretis ac lubrici tergi, tum multiplici flexu laxare, donec euadat. Polypum hamos appetere, brachijsq; complecti non morsu, nec prius dimittere, q̄ æscam circumroserit, aut harūdine leuatum extra aquam. Scit & mugil esse in æsca hamum, insidiasq; nō ignorat: auiditas tamen tanta est, ut cauda uerberando excutiat cibos. Minus in prouidendo lupus solertiæ habet, sed magnum robur in pœnitendo. Nam ut hæserit in hamo, tumultuoso discursu laxat uulnera, donec excidant insidiæ. Murenæ amplius deuorant hamum, admouentq; dentibus lineas, atq; ita erodunt. Pytheas id tradit. Idem infixam hamo inuertere se, quoniam sit dorso cultellato, spinaq; lineam præsecare. Licinius Macer murenas tantum fœminini sexus esse tradit, & concipere e serpentibus, ut diximus, ob id sibilo a piscatoribus tanquam serpentibus euocari & capi, pinguescere lactatu, fuste nō interimi, easdem ferula protinus. Animam in cauda habere certum est, eaq; icta celerrime exanimari, at capitis ictu difficulter. Nouacula & ferrum, quę pisce tacta sunt, olent. Durissimum esse piscium cōstat qui orchis uocetur, rotundus est, & sine squamis, totusque capite constat. Miluago quotiens cernatur extra aquā uolitans, tempestates mutari, Trebius niger author est. Xiphiam, id est, gladium, rostro mucronato esse, ab hoc naues perfossas mergi in oceano ad locum Mauritaniæ, a qui

maculas ipsius retis. i. foramina

lact. quidam legere malunt ia ctatu. i. uexatione.

qui Cotta uocetur, non procul à Lixo flumine. Idem loli gines euolare aqua tradit, tanta multitudine ut nauigia demergant. E manu uescuntur pisces in pluribus quidẽ Cæsaris uillis. Sed quę ueteres prodidere in stagnis, nos in piscinis admirati in Eloro Sicilię castello, non procul Syracusis. Item in Labra Gnidiŋ Iouis fõte anguillas: & hæ inaures additas gerunt. Similiter in Chio iuxta senũ delubrum. In Mesopotamiæ quoq; fonte Cabura, de q̃ diximus. Nam in Lyciæ Limyra fõte Apollinis, quem Dinum appellant, ter fistula euocati ueniunt ad auguri um. Diripere eos carnes obiectas, lætum est consultanti bus, caudis abigere dirum. Hierapoli Syriæ in lacu Ve- neris æditiuorum uocibus parent uocati, exornati auro ueniunt, adulantes scalpuntur, ora hiantia manibus in- serendis præbent. In Stabiano Campaniæ ad Herculis petram, melanuri in mari panem abiectum rapiunt: ij- demq; ad nullum cibum, in quo hamus sit, accedũt. Nec illa in nouissimis mira, amarissimos esse pisces ad Pelen insulam, & ad Clazomenas. Contra, ad scopulum Sici- liæ ac Leptin Africæ & Euboeam & Dyrrachium. Rur sus ita salsos, ut possint salsamenta existimari, circa Ce- phaleniam & Ampelon & Paron, & Deli petras. In por tu eiusdem insulæ, dulces. Quas differentias pabulo constare non est dubium. Appion maximum pisciũ esse tradit porcum, quem Lacedæmoniŋ orthragoriscum uo cant. Grunnire eum cum capitur. Esse uero illam natu- ræ accidẽtiam, quod magis miremur, etiam in locis qui- busdam apposito occurrit exemplo. Siquidem salsamẽ- ta omnium generum in Italia Beneuenti recentia effici constat. Pisces marinos in usu fuisse protinus à condita Roma, author est Cassius Hemina, cuius uerba de ea re hic subiŋciam: Numa constituit, ut pisces qui squamosi

non

non essent, ni pollucerent patrimonia, commẽtus ut cõ-
uiuia publica & priuata, cœnæque ad puluinaria facili
us compararentur, ni qui ad polluctum emerent, pretio
minus parcerent, ea'que præmercarentur. Quantum
apud nos Indicis margaritis prætium est (de quibus suo
loco satis diximus) tantum apud Indos in Corallio. Nã
ista persuasione gentium constant. Gignitur quidem &
in rubro mari, sed nigrius. Item in Persico uocatur Iace.
Laudatissimũ in Gallico sinu, circa Orchadas insulas.
Et in Siculo circa Heliam & Drepanum. Nascitur a-
pud Grauiscas, & ante Neapolim Campaniæ, maxime-
que rubens, sed molle, & ideo uilissimum Erythris.
Forma est ei fruticis, color uiridis. Baccæ eius candi-
dæ sub aqua ac molles. Exemptæ confestim durantur
& rubescunt, quasi corna satiua specie atq; magnitudi-
ne. Aiunt tactu protinus lapidescere, si uiuat. Itaq; oc
cupari, euellique retibus, aut acri ferramento præcidi.
Hac de caussa coralium uocitatum interpretantur. Pro
batissimum quàm maxime rubens, & quàm ramosissi-
mum, nec scabrosum, aut lapideum, uel rursus inane,
aut concauum. Authoritas baccarum eius nõ minus In
dorum uiris quoque prætiosa est, quàm fœminis nostris
uniones Indici. Aruspices eorum uatesque in primis
religiosum id gestamen amoliendis periculis arbitran-
tur. Itaque & decore & religione gaudent. Priusquàm
hæc notescerent, Galli gladios, scuta, galeas adorna-
bant eo. Nunc tanta penuria est uendibili merce, ut
perq; raro cernatur in suo orbe. Surculi infantiæ adalli
gati, tutelã habere creduntur: Contra'q; torminũ ac ue-
sicæ, & calculorũ mala in puluerem igne redacti, poti'q;
cũ aq̃ auxiliant. Simili mõ ex uino poti, aut si febris sit,

Polline. et pollin ctũ legitur ex castigatione Herm. sed in quo tamen duo uerba Budæus mutanda existimat, ita ut pro pollincerent pollucerent, pro pollinctum polluctum legatur. Quem ego secutus. Ii autem dicũtur pollucere patrimonia, qui decimam facultatũ suarum in erogationes pias uouerunt. Proprie aũt pollucere est Herculi sacrificium facere, quod fieri solebat lautissi. ideo pollucibiliter a Plauto in Mustellaria pro laute & splendide ponitur, et pollucibilis cœna a Macrob. pro opipara & splendida usurpatur. Ergo ni pollucerẽt pat. i. nõ æstimarentur pretio patrimoniorũ, uel ne taxarẽt decimã partẽ patrim.

ex aqua somnum afferunt: Ignibus diu repugnant. Sed eodem medicamine sæpius poto tradunt lienem quoq; absumi. Sanguinem reijcientibus excreantibus'ue medentur. Cinis eorum miscetur oculorum medicamẽtis. Spissat enim ac refrigerat. Vlcerum caua explet. Cicatrices extenuat. Quod ad repugnãtiam rerum attinet, quam Græci antipathiam uocãt, nihil est uenenatius usquàm q; in mari pastinaca, utpote cum radio eius arbores necari dixerimus. Hanc tamen persequitur galeos. Idem & alios quidem pisces, sed pastinacas pręcipue. Sicut in terra serpentes mustela. Tanta est auiditas ipsius ueneni. Percussis uero ab ea medetur & hic quidem, sed & mulus ac laser.

De ijs quibus in terris & in aquis uictus est, & de castoreis medicinæ & obseruationes.

Cap. III.

Spectabilis naturæ potentia in his quoq;, quibus & in terris & in aqua uictus est, sicut & fibris, quos castores uocant, & castorea testes eorum. Amputari hos ab ipsis cum capiuntur negat Sestius diligentissimus medicinæ. Quinimo paruos esse substrictosq;, & adhærentes spinæ, nec adimi sine uita animalis posse. Adulterari autem renibus eiusdem qui sint grandes, cũ ueri testes parui admodum reperiantur. Præterea ne uesicas quidem esse, cum sint geminæ, quod nulli animalium. In ijs folliculis inueniri liquorem & asseruari sale. Itaq; inter probationes falsi esse folliculos geminos ex uno nexu depẽdentes, quod ipsum corrumpi fraude, conijciẽtibus gũmi cum sanguine aut ammoniaco: quoniam ammoniaci coloris esse debeant, tunicis circundati liquore ueluti mellis cerosi, odoris grauis, gustu amaro & acri, friabiles. Efficacissime è ponto Galatiæ, mox Africæ. Sternu

Sestius. Adde, & Dioscorides, & alii non pauci classici scriptores, unde notandi hic ueniunt, Isidorus in suis etymologiis & Albe. Magnus, & ante hos Seruius Gram. qui castora a castrando dictum putant, cum Græca uox castor, quod animal Latinis fiber appellatur.

tamenta olfactu mouent. Somnum cõciliant cum rosaceo & peucedano perũcto capite: & per se poti in aqua, ob id phreneticis utiles. Item lethargicos odoris suffitu excitãt. Vuluarumq́ꝫ exanimationes uel subditi, & mẽses ac secundas ciunt, duabus drachmis ex aqua cum pulegio poti. Medentur & uertigini, opisthotonis, tremulis, spasticis, neruorum uitijs, ischiadicis, stomachicis, paralyticis, perunctis omnibus: uel triti ad crassitudinẽ mellis cum semine uiticis ex aceto aut rosaceo. Sic & cõtra comitiales sumpti: poti uero contra inflationes, tormina, uenena. Differentia tantum cõtra genera est mixturæ. Quippe aduersus scorpiones, ex uino bibũtur: aduersus phalangia & araneos, ex mulso, ita ut uomitione reddantur: aut ut retineantur cum ruta. Aduersus chalcidicas, cum myrtite. Aduersus cerasten & presteras, cũ panace, aut ruta ex uino. Aduersus cæteros serpẽtes, cũ uino. Dari binas drachmas satis est, eorum quæ adijciãtur singulas. Auxiliantur priuatim contra uiscum ex aceto. Aduersus aconitum ex lacte, aut aqua. Aduersus elleborum album ex aqua mulsa nitroq́ꝫ. Medentur & dentibus infusi, cum oleo triti in aurem a cuius parte doleant. Aurium doloribus melius si cum meconio. Claritatem uisus faciunt cum melle Attico inuncti. Cohibẽt singultus ex aceto. Vrina quoq́ꝫ fibri resistit uenenis, & ob id in antidota additur. Aduersatur autem optime in sua uesica, ut aliqui existimant.

De testudine, & multorum piscium medicinæ, & obseruationes. Cap. IIII.

GEminus similiter uictus, in aquis terraq́ꝫ & testudinum, effectus quoq́ꝫ pari honore habendi, uel propter excellens in usu pretium, naturæq́ꝫ proprietatem. Sunt ergo testudinum genera, terrestres, marinæ, luta-

 riæ,

riæ,& quæ in dulci aqua uiuunt. Has quidam e Græcis Emydas appellant. Terrestrium carnes suffitionibus proprie, magicisque artibus refutandis, & contra uenena salutares produntur. Plurimæ in Aphrica. Hæ ibi amputato capite pedibusque, pro antidoto dari dicuntur: & ex iure in cibo sumptæ, strumas discutere ac lienes tollere: Item comitiales morbos. Sanguis earum claritatem uisus facit, suffusionesque oculorum tollit. Et contra serpentium omnium & araneorum & similiũ, & ranarum uenena auxiliatur. Sanguine seruato in farina pilulis factis, & cum opus sit, in uino datis. Felle testudinum cum Attico melle glaucomata inungi prodest, & scorpionum plagis instillari. Tegumenti cinis uino & oleo subactus, pedum rimas ulceraque sanat. Squamæ e summa parte derasæ, & in potu datæ Venerem cohibent. Eo magis hoc mirum, quoniam totius tegumenti farina accendere traditur libidinem. Vrinam earum aliter quam in uesica dissectarum, inueniri posse non arbitror, & intra eam esse. Hæc quoque portentosa a magis demonstratur, aduersus aspidum ictus singulare remedium. Efficatior est tamen, ut aiunt, cimicibus admixtis. Oua durata illinuntur strumis, & ulceribus frigore aut adustione factis. Sorbentur in stomachi doloribus. Marinarum carnes admixtæ ranarũ carnibus, contra salamandras præclare auxiliantur. Neq; est testudine aliud salamandræ aduersus. Sanguine alopetiarum inanitas & porrigo, omniaque capitis ulcera curantur. Inarescere autem eum oportet, lenteque ablui. Instillatur & dolori aurium cum lacte mulierum. Aduersus comitiales morbos manditur cum polline frumenti. Miscetur autem sanguis heminis tribus aceti

ti, hemina uini addita his, & cum hordeacea farina, aceto quoque admixto, ut sit quod deuoretur fabæ magnitudine. Hæc singula & matutina & uespertina dantur, deinpost aliquot dies uespera. Comitialibus instillatur ore, deductis labris his qui modice corripiantur. Spasmo cum castoreo clystere infunditur. Quod si dentes per annum colluuntur testudinum sanguine, immunes à dolore fiunt, Et anhelitus discutit, quasque orthopnæas uocant, ad has in polenta datur. Fel testudinum claritatem oculorum facit, cicatrices extenuat, tonsillas sedat & anginas, & omnia oris uitia. Priuatim nomas ibi, item ardentium testium. Naribus illitum comitiales erigit, attollitque. Idem cum uernatione anguium aceto admixto, unice purulentis auribus prodest. Quidam bubulum fel admiscent, decoctarumque carnium testudinis succū, addita æque uernatione anguium. Sed diu in uino testudinem excoquunt. Oculorum quoque uitia omnia fel inunctum cum melle emendat. Suffusiones etiam marinæ felle, uel cum fluuiatilis sanguine & lacte mulierum capillus inficitur. Fel & contra salamandras, uel succum decoctum bibisse, satis est. Testudinum est tertium genus in cœno & paludibus uiuentium. Latitudo his in dorso pectori similis, nec connexo, incurua calyce, ingrata uisu. Ex hac quoque aliqua contingunt auxilia. Tres namque in succensa sarmenta coniectæ, & diuidentibus se tegumentis rapiuntur, tum euulsæ carnes earum coquūtur in aquæ congio sale modice addito, ita decoctarū ad tertias partes succus, paralysim & articularios morbos sentientibus bibit. Detrahit itē fel pituitas, sanguinemque uitiatum.

Comitialibus hoc loco pro his accipitur, qui morbo comitiali obnoxii sunt. uernatione pro serpentum exuuio, quod uerno tempore quotannis exuere solent serpentes, posuit. Suffusiones, s. emendantur.

Si

Sistitur ab eo remedio aluus aquę frigidę potu. Ex quarto genere testudinum, quę sunt in amnibus, diuulsarum pinguia cũ aizoo herba tusa, admixto unguento & semine lilij, ante accessiones perunguntur ægri, præter caput, mox conuoluti calidam aquam bibunt, quartanis liberari dicuntur. Hanc testudinem quintadecima luna capi oportere, ut plus pinguium reperiatur. Verum ægrum sextadecima luna perungi tradunt. Ex eodem genere testudinum sanguis instillatus crebros capitis dolores sedat: item strumas. Sunt qui testudinum sanguinem cultro æreo supinarum capitibus præcisis, excipi nouo fictili iubeant. Ignem sacrum, cuiuscunq; generis sanguine illini. Item capitis ulcera manantia, & uerrucas. Iidem promittũt testudinum omnium fimo panos discuti. Et, licet incredibile dictu sit, ut aliqui tradũt, tardius ire nauigia, testudinis pedem dextrum uehentia. Hinc deinde in morbos digeremus aquatilia, non quia ignoremus gratiorem esse uniuersitatem animaliũ, maiorisq; miraculi: sed hoc uilius est, uitæ contributa habere remedia, cum aliud alij prosit, aliud alibi facilius inueniatur.

Pani sunt de genere tumorum.

De aquatilibus, quomodo remedia in morbos digesta sunt. Et primum contra uenena & uenenata animalia. Cap. V.

VEnenatũ mel diximus, ubi nasceretur. Auxilio est piscis aurata in cibo. Vel si ex melle syncero fastidium crudelitasue quæ sit grauissima incidat: testudinem circumcisis pedibus, capite, cauda, decoctam, antidotũ esse, author est Pelops, scincũq; Appelles. Qui esset scincus, diximus. Sæpius uero quantum ueneficium præstaret menstruis mulierum. Contra omnia ea auxiliatur, ut diximus, mullus: Item contra pastinacam & scorpiones

Lib. 28. cap. 8.

nes

nes terrestres marinosq́ꝫ, & dracones, & phalangia illi-
tus sumptus´ue in cibo. Eiusdem recentis e capite cinis
contra omnia uenena, priuatim cõtra fungos. Mala me
dicamenta inferri negant posse, aut certe nocere, stella
marina uulpino sanguine illita, & affixa limini superio
ri, aut clauo æreo ianuæ. Draconis marini, scorpionum
q́ꝫ ictus, carnibus eorum impositis. Item araneorũ mor-
sus sanantur. In summa contra omnia uenena, uel potu,
uel ictu, uel morsu noxia, succus eorum ex iure decocto
rum, efficacissimus habet. Sunt & seruatis piscibus me-
dicinæ. Salsamẽtorum cibus prodest à serpente percus-
sis, & contra bestiarum ictus, mero subinde hausto, ita
ut ad uesperam cibus uomitione reddatur. Peculiari-
ter à chalcide, peraste, aut quas sepas uocant, aut elape,
dipsade´ue percussis. Cõtra scorpiones largius sumi, sed
non euomi salsamẽta prodest, ita ut sitis toleretur, & im
ponere eadem plagis conuenit. Contra crocodilorum
quidem morsus non aliud præsentius habetur. Priua-
tim contra presteris morsum sarda prodest. Imponun-
tur salsamenta & contra morsum canis rabiosi: uel si nõ
sint ferro ustæ plagæ, corporaq́ꝫ clysteribus exinanita,
hæc per se sufficit. Et contra draconem marinum ex ace
to imponitur. Iidẽ & cybio profectus. Draco enim ma-
rinus ad spinæ suæ (qua ferit) uenenum, ipse impositus
uel cerebro toto prodest. Ranarum marinarum ex ui-
no & aceto decoctarum, succus contra uenena bibitur,
& contra ranæ rubetæ uenenum, & contra salamãdras.
Fluuiatiles, si carnes edantur, ius´ue decoctarum sorbe
atur, prosunt & contra leporem marinum, & contra ser
pentes supradictas. Contra scorpiones ex uino. Demo-
critus quidem tradit, si quis extrahat ranæ uiuenti ling-
uam, nulla alia corporis parte adhærente, ipsaq́ꝫ dimis-

Profectus. i. com moditates.

sa in aqua, imponat supra cordis palpitationem mulieri dormienti, quæcunque interrogauerit, uera responsurã. Addunt etiamnum alia magi, quę si uera sunt, multo utiliores uitæ existimantur ranæ, quàm leges. Namque harundine transfixa natura per os, si surculus in menstruis defigatur à marito, adulterorum tædium fieri. Carnibus earum uel hamo additis, præcipue purpuras certũ allici. Iecur ranæ geminum esse dicunt, obijcique formicis oportere, eam partem quam appetant contra omnia uenena esse pro antidoto. Sunt quæ in uepribus tãtum uiuunt, ob id rubetarum nomine, ut diximus (quas græci phrynos uocant) grandissimæ cunctarum, geminis ueluti cornibus plenæ ueneficiorum. Mira de his certatim tradunt authores. Illatas in populum silentium fieri. Ossiculo quod sit in dextro latere in aquam feruentẽ deiecto, refrigerari uas, nec postea feruere, nisi exẽpto. Extẽplo id inueniri obiecta rana formicis, carnibusque erosis singula in oleum addi. Et aliud esse in sinistro latere, quo deiecto feruere uideatur, apocynon uocari. Canum impetus eo cohiberi, amorem concitari, & iurgia addito in potionem. Venerem adalligatum stimulare. Rursus à dextro latere refrigerari feruẽtia. Hoc & quartanas sanari adalligato in pellicula agnina recenti, aliasque febres. Amorem inhiberi eo. Item ex his ranis lien contra omnia uenena, quæ fiant ex ipsis, auxiliatur. Cor uero etiam efficatius est. Coluber est in aqua uiuens, huius adipem & fel habentes, qui crocodilos uenentur, mire adiuuari produntur, nihil contra belua audente. Efficatius etiamnũ, si herba potamogeton misceatur. Cancri fluuiatiles triti potique ex aqua recentes, seu cinere adseruato, contra uenena omnia prosunt, priuatim contra scorpionum ictus cum melle asinino: uel si non adsit, caprino, uel alio quocunque: Addi & uinũ oportet. Necant

Ita opus non esset tormentis.

eos triti cum ocimo admoti. Eadē uis contra uenenatorũ omnium morsus, priuatim scytalen & angues, & contra leporē marinũ, ac ranam rubetam. Cinis eorum seruatus prodest pauori. Prodest periclitantibus ex canis rabiosi morsibus. Quidam adijciunt gẽtianam, & dant in uino. Nam si iam pauor occupauerit, pastillos uino subactos deuorandos ita præcipiũt. Decē uero cancris cũ ocimi manipulo adalligatis, omnes qui ibi sunt scorpiones ad eum locũ coituros magi dicũt: & cum ocimo ipsos, cineremue eorũ percussis imponunt. Minus in omnibus his marinis prosunt, ut Trasillus author est. Nihil autē æque aduersari serpẽtibus quàm cancros, suesque percussas hoc pabulo sibi mederi. Cum sol sit in cancro, torqueri serpentes. Ictibus scorpionum carnes fluuiatiliũ cochlearũ resistunt crudæ uel coctæ. Quidam ob id salsas quoque adseruant: Imponunt et ipsis plagis. Coracini pisces Nilo quidem peculiares sunt. Sed nos hæc omnibus terris demonstramus. Carnes eorum aduersus scorpiones ualent impositæ. Inter uenena sunt piscium porci marini spinæ in dorso, cruciatu magno læsorũ, remedium est limus ex reliquo piscium eorũ corpore. Canis rabidi morsu potum expauescẽtibus faciem perungũt adipe uituli marini. Efficatius si in medulla hyænæ, & oleũ e lentisco & cæra misceatur. Murenæ morsus ipsarũ capitis cinere sanantur. Et pastinaca contra suum ictum remedio est, cinere suo ex aceto illito, uel alterius. Cibi caussa extrahi debet e dorso eius quicquid simile est croco, caputque totũ. Et hanc aũt & oĩa testacea modice collui in cibis, quia saporis gratia perit. Leporis marini uenefitiũ restinguũt poti hippocampi. Cõtra dorycniũ echini maxime psunt: & ijs qui succũ carpathi biberint, pcipue eius iure sumpto. Et cancri marini decocti ius cõtra dorycnium efficax habetur.

De ostreis, & purpuris, & alga, & eorum re-
media. Cap. VI.

PEculiariter uero contra leporis marini uenena & o-
strea aduersantur. Idem uidetur, nec potest uideri sa-
tis dictum esse de ijs, cum palma mensarum diu iam tri-
buatur illis. Gaudent dulcibus aquis, & ubi plurimum
influunt amnes, ideo pelagia parua & rara sunt. Gignũ-
tur autem in petrosis, carentibusq; aquarum dulciũ ad-
uentu, sicut circa Grynum & Myrinam. Grandescũt sy-
deris quidem ratione maxime, ut in natura aquatilium
diximus. Sed priuatim circa initia æstatis multo lacte
prægnantia, atq; ubi sol penetret in uada. Hæc uidetur
caussa, quare minora in alijs locis reperiantur. Opaci-
tas enim prohibet incrementum, et tristitia minus appe
tunt cibos. Variant coloribus. Ruffa in Hispania, fusca
in Illyrico, nigra & carne & testa Circæis. Præcipua ue-
ro habentur in quacunq; gẽte spissa, nec saliua sua lubri
ca, crassitudine potius spectanda quàm latitudine. Neq;
in luto capta, neq; in harenosis, sed solido uado, spondy-
lo breui, atq; non carnoso, nec fibris laciniosoo, ac tota in
aluo. Addunt peritiores notam, ambiẽte purpureo cri-
ne fibras, eoq; argumento generosa interpretantur cal-
liblephara appellãtes. Gaugent & peregrinatione, trãs
ferriq; in ignotas aquas. Sic Brundusina in Auerno cõ-
pasta, & suum retinere succũ, & a Lucrino adoptare cre
duntur. Hæc sint dicta de corpore. Dicemus & de natio
nibus, ne fraudentur gloria sua littora, sed dicemus alie
na lingua, quæq; peritissima huius censura in nostro æ-
uo fuit. Sunt ergo Mutiani uerba quæ subijciam: Cyzi-
cena maiora Lucrinis, dulciora Britãnicis, suauiora E-
dulicis, acriora Lepticis, pleniora Lucensibus, sicciora
Coryphantenis, teuniora Istricis, candidiora Circeien-
si-

Calliblepharon medicamentum est, quo fucantur ornanturque pal pebræ.

Ab Edulio mõte.

ſibus. Sed his neq; dulciora, neq; tenuiora eſſe ulla compertum eſt. In Indico mari Alexandri rerum authores pedalia inueniri prodidere. Nec non inter nos nepotis cuiuſdam nomẽculator Tridacna appellauit, tantæ amplitudinis intelligi cupiens, ut ter mordenda eſſent. Eorum dos in medicina hoc in loco tota dicetur. Addiditq; luxuria frigus obrutis niue, ſumma montium, & maris ima miſcens. Molliunt aluum leniter. Eadem cocta cum mulſo, tenaſmo qui ſine exulceratione ſit, liberãt. Veſicarum ulcera quoq; repurgant. In conchis ſuis cocta, ſiue uti clauſa uenerint, mire diſtillationibus proſunt. Teſtæ oſtreorum cinis uuam ſedat, & tonſillas admixto melle. Eodem modo parotidas, panos, mammarumq; duritias, capitum ulcera ex aqua, cutemq; mulierum extendit. Inſpergitur & ambuſtis. Et dẽtifricio placet. Pruritibus quoq; & eruptionibus pituitæ ex aceto medetur. Crudæ ſi tundantur, ſtrumas ſanant & perniones pedum. Purpuræ quoq; contra uenena proſunt. Et algam maris theriacen eſſe Nicander tradit. Plura eius genera uti diximus, longo folio & rubente, latiore alia, & criſpo. Laudatiſſima, quæ in Creta inſula iuxta terrã in petris naſcitur: tingendis etiam lanis ita colorem alligans, ut elui poſtea non poſſit. E uino iubet eam dari.

Pedalia, pedis menſuram habẽtia.

Tenaſmus crebra eſt ſed inanis egerendi uoluntas. deſtil. i. fluxionibus, ut eſt catharrus, branchus, & coryza, hæc tamen ſic differunt quod coryza dicitur, cum pituita nares tantum obſidet, grauedo latine dicta, catharrus cum fauces palatumque; at branchus cum guttur & arteriã. Sed ut Hippocr. omnia hæc coryzas dicit, ita latini diſtillationes. Theriacen. i. medicam.

Ad alopecias, & capillos, & ad oculorum, uitia. Caput VII.

ALopecias replet hippocampinus cinis nitro & adipe ſuillo mixtus, aut ſyncerus ex aqua. Præparata autem ſepiarum cruſtæ farina cutẽ replet, & muris marini cinis cum oleo. Item echini cũ carnibus ſuis cremati cinis. Fel ſcorpionis marini. Ranarum quoq; triũ (ſi uiuæ in olla crementur) cinis cum melle; melius cũ pi-

ce liquida. Capillum denigrant sanguisugæ, quæ in nigro uino diebus xl. computruere. Alij in aceti sextarijs duobus sanguisugarum sextarium in uase plumbeo iubent putrescere totidem diebus, mox illini in sole. Sornatius tantam uim habere tradit, ut nisi oleum ore contineant qui tingunt, dentes quoq; eorum denigrari dicat. Capitis ulceribus, muricum uel purpurarum testæ cinis, cum melle utiliter illinitur, conchyliorum (uel si non urantur) farina ex aqua, doloribus. Castoreum cũ peucedano & rosaceo. Omnium piscium fluuiatilium, marinorumq; adeps liquefactus oleo admixto melle, oculorum claritati plurimum confert. Item castoreum cum melle. Callionymi fel cicatrices sanat, & carnes oculorum superuacuas consumit. Nulli hoc piscium copiosius, ut existimauit Menander quoq; in Comœdijs. Idem piscis & uranoscopos uocatur ab oculo, quẽ in capite habet. Et coracini fel excitat uisum. Et marini scorpionis ruffi cum oleo uetere, aut melle Attico incipientes suffusiones discutit: inũgi ter oportet intermissis diebus. Eadem ratio albugines oculorum tollit. Mullorũ cibo aciem oculorum hebetari tradũt. Lepus marinus, ipse quidem uenenatus est, sed cinis eius in palpebris pilos inutiles euulsos cohibet. Et ad hunc usum utilissimi minimi. Item pectunculi sal si triti cum cedria. Ranæ q̃s dryophytas & calamitas uocant, sanguis earum cum lachryma uitis, si euulso pilo palpebris illinatur. Oculorum tumorem ruboremq; sepiæ cortex cum lacte mulieris illitus sedat, & per se scabricias emendat. Inuertunt itaq; genas id agentes, & medicamentum auferunt post paulum, rosaceoq; inungũt, & pane imposito mitigant nocte. Eadẽ cortice & nyctalopes curant̃ in farina trita, & ex aceto illita. Extrahit & squamas cinis eius. Cicatrices oculorũ cũ melle sanat, pterygia cũ sale et cadmia

Nullus piscis hoc piscium genere fel habet copiosius.

intermis. diebus .i. per interuallũ.

cum ced. subaudi pice, uel resina a cedro arbore, un demanat.

rosa. s. oleo.

ſingulis drachmis. Emẽdat & albugines oculorũ iumẽ torũ. Adijciunt & oſſiculis eius genas (ſi terant) ſanari. Echini ex aceto epinyctidas ſanant. Eundẽ cõburi cum uiperinis pellibus raniſq;, & cinerẽ aſpergi potioni iubent magi, claritatẽ uiſus promittẽtes. Ichthyocolla appellatur piſcis, cui glutinoſum eſt coriũ, idẽq; nomẽ glutino eius. Hic epinyctidas rollit. Quidam ex uẽtre non ex corio fieri dicũt. Ichthyocolla ut glutinũ taurinũ laudatur. Pontica candicans & carẽs uenis ſquamiſq;, & q̃ celerrime liqueſcit. Madeſcere autẽ debet conciſa in aqua, aut aceto nocte ac die. Mox tundi marinis lapidibus, ut facilius liqueſcat. Vtilem eam in capitis doloribus affirmant, & tetanothris. Ranæ dexter oculus dextro, ſiniſtro leuus ſuſpenſi e collo natiui coloris panno lippitudines ſanant. Quod ſi per coitũ ranæ eruantur, albuginẽ quoq;. Alligati ſimiliter in putamine oui. Reliquæ carnes impoſitæ ſugillationẽ rapiũt. Cancri etiam oculos adalligatos collo, mederi lippitudini dicũt. Eſt parua rana in harũdinetis & herbis maxime uiuẽs, muta ac ſine uoce, uiridis, ſi forte hauriatur, uentres boũ diſtendens: huius corporis humorẽ penicillis deraſum claritatẽ oculis inunctis narrãt afferre, ipſaſq; carnes doloribus oculorũ ſuperponũt. Ranas etiã quindecim cõiectas in fictili nouo iũcis cõfigunt qdam, ſuccũ earũ q ita effluxerit admiſcẽt lachrymæ, q̃ ex alba uite emanat, atq; ita palpebras emẽdant, inutilibus pilis exẽptis, acu inſtillantes hũc ſuccũ in ueſtigia euulſorũ. Meges pſilothrũ palpebrarũ faciebat in aceto enecans putreſcentes, & hoc utebatur in multis uarijſq; per aquationes autũni naſcentibus. Idẽ pſtare ſanguiſugarũ cinis ex aceto illitus putatur. Cõburi eas oportet in nouo uaſe. Idẽ tæniæ iecur ſiccatũ põdere. X. iiij. cũ oleo cedrino perunctis pilis, ix. menſibus.

Ichthyocolla glutinum, quod ex corio piſcium cõficitur.

Tetanothra medicamenta ſunt ad leuigandã atque erugandam hominis cutem.

De aurium, & dentium remedijs, & ad cu-
tis uitia. Cap. VIII.

AVribus utilissimum bati piscis fel recens, sed inuete
ratum uino. Item banchi, quem quidam myxona uo
cant. Item callionymi cum rosaceo infusum, uel castore
um cum papaueris succo. Vocant & in mari pediculos,
eosq́ tritos instillari ex aceto auribus iubent. Et per se
conchylio infecta lana magnopere prodest. Quidam a-
ceto & nitro madefaciunt. Suntq́ qui præcipue contra
omnia aurium uitia laudent gari excellentis sociorum
cyathum mellis dimidio, amplius acethi cyathum in ca
lice nouo lenta pruna decoquere. Deinde spuma pẽnis
detersa, & postq́ desierit spumare, tepidum infundere.
Si tumeant aures, coriandri succo prius mitigandas ij-
dem præcipiunt. Ranarum adeps instillatus, statim do-
lores tollit. Cancrorum fluuiatilium succus cum farina
hordeacea aurium uulneribus efficacissime prodest. Pa
rotidas muricum testæ cinere cum melle, uel conchylio
rum ex mulso curantur. Dentium dolores sedantur os-
sibus draconis marini scarificatis gingiuis. Cerebro ca-
niculæ in oleo decocto adseruatoq́, ut ex eo dentes se-
mel anno colluantur. Pastinacæ quoq́ radio scarificare
gingiuas, & in dolore utilissimũ. Cõteriturq́ is, & cum
elleboro albo illitus, dẽtes sine uexatione extrahit. Sal-
samẽtorum etiam in fictili uase combustorum cinis, ad-
dita farina marmoris inter remedia est. Et cybia uetera
eluta in nouo uase, deinde trita prosunt doloribus. Ae-
que prodesse dicuntur omnium salsamentorum spinæ
combustæ tritæq́ & illitæ. Decoquuntur & ranæ singu
læ in aceti heminis, ut dentes ita colluãtur, cõtineaturq́
in ore succus. Si fastidium obstaret, suspẽdebat pedibus
posterioribus eas Sallustius Dionysius, ut ex ore uirus
de-

deflueret in acetum feruens, idq́ e pluribus ranis. Fortioribus stomachis ex iure edendas dabit. Maxillaresq́ ita sanari dentes præcipue putant, mobiles uero supradicto aceto stabiliri. Ad hæc quidam ranarum corpora binarum præcisis pedibus in uini hemina macerant, & ita collui dentes labentes iubēt. Aliqui totas adalligāt maxillis. Alij denas in aceti sextarijs tribus decoxere ad tertias partes, ut mobiles dentes stabilirent. Necnō xxxvi. ranarum corda in olei ueteris sextario sub æreo testo discoxere, ut infunderent per aurem dolentis maxillæ. Alij iecur ranæ decoctum & tritum melle imposuere dentibus. Omnia suprascripta ex marina rana efficatiora. Si cariosi & fœtidi sunt, centum in furno arefieri per noctem præcipiunt, postea tantundem salis addi atq́ fricari. Enhydris uocatur à Græcis coluber in aquis uiuens. Huius quatuor dentium superioribus in dolore superiorum gingiuas scarificant, inferiorum inferioribus. Aliqui canino tantum earum contenti sunt. Vtūtur & cancrorum cinere, nam muricum cinis dentifritium est. Lichenas & lepras tollit adeps uituli marini. Murenarum cinis cum mellis obolis ternis, iecur pastinacæ in oleo decoctum. Hippocampi & delphini cinis ex aqua illitus. Exulceratione sequi debet curatio, quæ perducit ad cicatricem. Quidam delphini iecur in fictili torrent, donec pinguitudo similitudine olei fluat, ac perungunt. Muricum uel conchyliorum testæ cinis maculas in facie mulierum purgat cum melle illitus, cutēq́ erugat, extenditq́ septenis diebus illitus, ita ut octauo candido ouorum foueantur. Muricum generis sunt quæ uocant Græci colycia, alij corythia, turbinata æque sed minora multo, efficatiora etiam & oris halitum custodientia. Ichthyocolla erugat cutem, extenditq́ in a-

Hæc testa & hoc testū dicitur, ut sit testum, quod Græci clibanum uocant, unde panis testaceus is dicitur apud nos quem illi clibanitin dicunt.

qua decocta horis quatuor, dein contusa, colluta, & subacta ad liquorem usq; mellis. Ita præparata in uase nouo conditur, & in usu quatuor drachmis eius, binæ sulphuris, & anchusæ totidem, octo spumæ argenteę addũtur, aspersaq; aqua terũtur unà. Sic illita facies post quatuor horas abluitur. Medetur & lentigini cæterisq; uitijs ex ossibus sepiarum cinis. Idem & carnes excrescentes tollit & humida ulcera.

Promiscuæ medicinæ ex aquatilibus. Cap. IX.

Psora. i. scabies.

PSoras tollit rana decocta in heminis quinq; aquę marinæ. Excoqui debet, donec sit crassitudo mellis. Fit & in mari halcyoneum appellatum, ex nidis (ut aliqui existimant) halcyonum & cæycum. Alij è sordibus spumarum crassescentibus. Alij è limo, uel quadam maris lanugine. Quatuor eius genera. Cinereũ spissum, odoris asperi. Alterum molle, lenius, odore ferè algæ. Tertium candidioris uermiculi. Quartum pumicosius, spōgięq; putri simile, penè purpureum. Quod optimum, id & Milesium uocatur. Quo candidius autẽ, hoc minus probabile est. Vis eorum, ut exulcerent purgent. Vsus tostis & sine oleo mire lepras, lichenas, lentigines tollunt cum lupino, & sulphuris duobus obolis. Halcyoneo utuntur & ad oculorum cicatrices. Andreas ad lepras cancri cinere cum oleo usus est. Attalus thynni recentioris adipe ad ulcera. Murenarum muria, & capitũ cinis cum melle sanat strumas. Pungi piscis eius qui rana in mari appellatur, ossiculo de cauda, ita ut non uulneret, prodest. Id faciendum quotidie, donec percurentur. Eadem uis & pastinacæ, radio, & lepori marino imposito, ita ut celeriter remoueatur. Echini testis contusis, & ex aceto illitis. Item scolopendræ marinæ è melle. Cancri fluuiatiles contriti uel combusti ex melle, mirifice

ce prosunt, & sepiæ ossa cum axungia uetere contusa & illita. Sic & ad parotidas utũtur, & scari piscis marini io cineribus. Quin & testis cadi salsamentarij tusis cum axungia uetere, muricũq; cinere ex oleo ad parotidas strumasq;. Rigor ceruicis mollitur cum marinis, qui pediculi uocantur, drachma pota. Castoreo poto cum pipere ex mulso mixto ranis decoctis ex oleo & sale, ut sorbeatur succus. Sic & opisthotono medentur, tetano, spasticis uero pipere adiecto. Anginas menarum salsarum ex capitibus cinis ex melle illitus abolet, ranarumq; decoctarum ex aceto. Succus hic & contra tonsillas prodest. Cancri fluuiatiles triti singuli in heminã aquæ anginis medentur gargarizati, aut e uino, aut calida aqua poti. Vuæ medetur garum cochlearibus subditũ. Vocem siluri recentes, salsi ue in cibo sumpti adiuuãt. Vomitiones mulli inueterati tritiq; in potione concitant. Suspiriosis castoreum cum ammoniaci exigua portione ex aceto mulso ieiunis utilissime potatur. Eadem potio spasmos stomachi sedat ex aceto mulso calido. Tussim sanare dicuntur piscium modo e iure decoctæ in patinis ranæ. Suspensæ autem pedibus, cum distillauerit in patinam saliua earum, exenterari iubentur, abiectisque interaneis, condiri. Est rana parua arborem scandẽs, & ex ea uociferans: in huius os si quis expuat, ipsamque dimittat, tussi liberari dicitur. Præcipiunt & cochleæ crudæ carnem tritam bibere ex aqua calida in tussi cruenta.

Quin & testis, subaudi, utuntur.

Suspiriosis, id est, asthmaticis. spasmos stomachi. Huiusmodi spasmus singultus est.

Ad iocineris uitia laterumq́, & ad stomachi & alui, & urinæ, & calculorum uitia, & ad alia quædam promiscuæ medicinæ. Caput X.

IOcineris doloribus scorpio marinus in uino necatur, ut deinde bibatur. Conchæ longæ carnes ex mulso potæ cum aqua pari modo, aut si febres sint, ex aqua mulsa. Lateris dolores leniunt hippocampi tosti sumpti, tetheæq́ similes ostreæ in cibo sumptæ. Ischiadicorum muria siluri clystere infusa. Dantur autem conchæ ternis obolis dilutæ in uini sextarijs duobus per dies xv. Aluũ emollit silurus è iure, & torpedo in cibo. Et olus marinum simile satiuo, stomacho inimicum aluum facillime purgat. Sed propter acrimoniam cum pingui carne coquitur: & omnium piscium ius. Idem & urinas cit, è uino maxime. Optimũ è scorpionibus & Iulide, & saxatilibus, nec uirus resipientibus. Coqui debent cum anetho, apio, coriandro, porro, additis oleo & sale. Purgãt & cybia uetera, priuatimq́ cruditates, pituitam bilemq́ trahũt. Purgant & Myaces, quorum natura tota hoc loco dicetur. Aceruantur muricum modo, uiuuntq́ in algosis, gratissimi autũno, & ubi multa dulcis aqua miscetur mari, ob id in Aegypto laudatissimi. Procedente hyeme, amaritudinem trahunt, coloreq́ rubrum. Horum ius traditur aluũ & uesicas exinanire, interanea distringere, omnia adaperire, renes purgare, sanguinem adipẽque minuere. Itaq́ utilissimi sunt hydropicis, mulierum purgationibus, morbo regio, articulari, inflationibus. Item prodesse felli pituitæq́, pulmonis, iocineris, splenis uitijs, rheumatismis. Fauces tãtum uexant, uocesq́ obtundunt. Vlceraq́ quæ serpunt, aut sint purganda, sanant. Item carcinomata. Cremati autem, ut murices,

articulari, s. morbo, quem Græci ischiada uocant, a coxendice siue coxarum uertebro.

& morsus canum hominumq́ cum melle, lepras, lentigines. Cinis eorum potus emendat caligines. Gingiuarum & dentium uitia, eruptiones pituitæ, & contra dorycniũ, aut opocarpathon antidoti uicem obtinent. Degenerant in duas species, in Mytulos, qui salem uirusq́ resipiunt, myscasq́, quæ rotunditate differũt, minores aliquanto atq; hirtæ, tenuioribus testis, carne duriones. Mytuli quoq; (ut murices) cinere causticã uim habent, & ad lepras, lentigines, maculas. Lauantur quoq; plumbi modo ad genarum crassitudines, & oculorum albugines, caliginesq́, atq; in alijs partibus sordida ulcera, capitisq́ pustulas. Carnes uero eorum ad canis morsus imponuntur. Et pelorides emolliũt aluum. Item castorea ex aqua mulsa, drachmis binis. Qui uehemẽtius uolunt uti, addunt cucumeris satiui radicis siccæ drachmã & aphronitri duas. Tetheæ torminibus & inflationib. succurrunt, inueniuntur hæ in folijs marinis sugentes, fungorum uerius genere q̃ piscium. Eædem & tenasmũ dissoluunt, renumq́ uitia. Nascitur & in mari absinthium, quod aliqui seriphum uocant, circa Taposirin maxime Aegypti, exilius terrestri. Aluum soluit, & noxijs animalibus intestina liberat. Soluunt & sepiæ: in cibo dantur cum oleo, & sale, & farina decoctæ. Menæ salsæ cum felle taurino illitæ umbilico, aluum soluũt. Ius piscium in patina coctorum cum lactucis, tenasmũ discutit. Cancri fluuiatiles triti ex aqua poti, aluum sistunt, urinam ciunt in uino albo. Ademptis brachijs calculos pellunt tribus obolis cum myrrha triti, singulis eorum drachmis. Ileos & inflationes castoreum cum dauci semine & petroselini quantum ternis digitis sumatur, ex mulsi calidi cyathis quatuor. Tormina uero cum aceto uino mixto. Erythini in cibo sumpti sistunt aluum. Dy-

Taphosirin legendum esset ex Stephano de urbib. qui oppidum in Aegypto esse dicit, in quo Osiris sepultus fuit, unde & nomen hẽt. Apud Strabo. uero Taposiris, qui duas eius nominis urbes ponit, alteram ad mare alteram non ad mare. i. mediterr. Omnes in Aegypto fuerunt.

ſentericis medentur ranæ cum ſcylla decoctæ, ita ut paſtilli fiant. Fel ſiue cor earum cum melle tritum, ut tradit Niceratus. Morbo regio ſalſamentum cum pipere, ita ut reliqua carne abſtineatur. Lieni medetur ſolea piſcis impoſitus: Item torpedo: Item rhombus uiuus, deinremittitur in mare. Scorpius marinus necatus in uino, ueſicæ uitia & calculos ſanat. Lapis, qui inuenitur in ſcorpionis marini cauda pondere oboli potus. Enhydridis iecur: Blenniorũ cinis cum ruta. Inueniũtur & in bachi piſcis capite ceu lapilli. Hi poti ex aqua calculoſis præclare medentur. Aiuntq́ & urticam marinam in uino potam prodeſſe. Item pulmonem marinum decoctũ in aqua. Oua ſepiæ urinam mouent, renumq́ pituitas extrahunt. Rupta, cõuulſa, cancri fluuiatiles triti in aſinino lacte maxime ſanant. Echini uero cum ſpinis ſuis contuſi, & in uino poti calculos. Modus ſingulis hemina bibitur donec proſit, & aliàs in cibis ad hoc proficiunt. Purgatur ueſica & pectinum cibo. Ex his mares, alij donacas, alij aulos uocant, fœminas onychas. Vrinam mares mouent. Dulciores fœminæ ſunt & unicolores. Sepiæ quoque oua urinam mouent, renes purgant. Enterocelæ lepus illinitur tritus cum melle. Iecur quoque aquatici colubri. Item hydri tritum potum'que calculoſis prodeſt. Iſchiadicos autem liberant ſalſamẽta ex ſiluro infuſa clyſtere, euacuata prius aluo. Sed ſedis attritus cinis`e capite mugilum mullorumque. Comburuntur autem in fictili uaſe. Illini eum melle debent. Item capitis menarum cinis ad rhagadas, & ad condylomata utilis, ſicut pelamidum ſalſarum capitum cinis, uel cybiorum cum melle. Torpedo appoſita procidentis interanei morbum ibi coercet. Cancrorum fluuiatilium cinis ex oleo & cera, rimas in eadem partẽ emendat

ſedis attritus, id eſt, intertrigines, ab interterendo, quod malum accidit plærumque in fœminis interioribus aliiſque corporis partib. ex longo equitatu, aliaue cauſſa.

dat. Item & marini cancri polline. Panos coracini salsamenta discutiunt. Scienæ interanea, & squamæ combustæ. Scorpio in uino decoctus, ita ut foueantur ex illo. At echinorum testæ contusæ & ex aqua illitæ, incipientibus panis resistũt. Muricum uel purpurarum cinis utroq; modo, siue discutere opus sit incipientes, siue concoctos emittere. Quidam ita componunt medicamentum: ceræ & thuris drachmas xx, spumæ argenti xl, cineris muricum x, olei ueteris heminam. Prosunt per se salsamenta cocta. Cancri fluuiatiles triti, uerendorum pustulas discutiunt. Cinis ex capite menarum: item carnes decoctæ & impositæ. Similiter percæ salsæ e capite cinis melle addito. Pelamidum capitis cinis, aut squatinæ piscis cutis combusta. Hæc est, qua diximus lignum poliri, quia & emari fabriles usus exeunt. Prosunt & smarides illitæ: Item muricum uel purpurarum testæ cinis cum melle, efficatius crematarum cum carnibus suis. Carbunculos uerendorum priuatim salsamenta cocta cum melle restringunt. At testem (si descenderit) cochlearum spuma illini uolunt. Vrinæ incontinentiam Hippocampi tosti, & in cibo sæpius sumpti emendant. Item Ophidion pisciculus congro similis cum lilij radice. Pisciculi minuti ex uentre eius, quos deuorauerit, exempti & cremati, ita ut cinis eorum bibatur ex aqua. Iubent & cochleas Aphricanas cum sua carne comburi, cineremque ex uino signino dari. Podagris articularibusq; morbis utile est oleum, in quo decocta est rana, & ipsius intestina, & rubetæ cinis cum adipe uetere. Quidam & hordei cinerem adijciũt, triũ rerũ ęquo põdere. Iubẽt & lepore marino recẽti podagrã fricari, Febrinis q̃q; pellibus calciari, maxime põtici fibri,

Incontinentia urinæ laborant, qui in somno urinam reddere solent uel inuiti, id quod pueris plærumque accidit.

Item uituli marini, cuius cinis & adeps prodest. Item & bryon, de quo diximus, lactucæ simile, rugosioribus folijs, sine caule. Natura est ei stiptica. Impositum lenit impetus podagræ. Item alga, de qua supra dictum est. Obseruaturq; in ea, ne arida imponat. Perniones emendat pulmo marinus. Cãcriq; marini cinis ex oleo. Item fluuiatiles cancri triti, sicq; cinere & oleo subacti, & siluri adeps. Et in articulis morborum impetus sedant ranę subinde recentes impositæ, quas quidam dissectas iubẽt imponi. Morbos abigit ius mytulorum & conchatum comitiales: & ut diximus, coagulum uituli marini bibunt cum lacte equino asininoue, aut cum punici succo. Quidam ex aceto mulso. Nec non aliqui per se pilulas deuorant. Castoreum in aceti mulsi cyathis tribus ieiunis datur. His uero qui sæpius corripiuntur, clystere infusum mirifice prodest. Castorei drachmæ duæ esse debebunt, mellis & olei sextarius, & aquæ tantundẽ. Ad præsens uero correptis olfactu subuenit cum aceto. Datur & mustelæ marinæ iecur. Itẽ muris uel testudinum sanguis.

Ad febres omnium generum, & contra diuersas infirmitates. Cap. XI.

Accessio est paroxismus. i. tempus quo peius ægri in morbis habẽt a primo statim insultu usque ad tempus declinationis.

FEbrium circuitus tollit iecur delphini gustatum ante accessiones. Hippocampi necantur in rosaceo, ut perungantur ægri in frigidis febribus. Et ipsi adalligantur ægris. Item ex asello pisce lapilli, qui plena luna inueniuntur in capite, alligantur in linteolo. Pagri fluuiatilis longissimus dens capillo adalligatus, ita ut quinq; diebus eum, qui alligauerit, non cernat æger. Ranæ uero in triuio decoctæ oleo abiectis carnibus perunctos liberant quartanis. Sunt qui strangulatas in oleo ipsas clam adalligent, oleoq; eo perungant. Cor earum adalliga-

gatum frigora febrium minuit. Et oleum, in quo intesti na decocta sint. Maxime autem quartanis liberant, ablatis unguibus ranæ adalligatæ, & rubetæ. Iecur eius uel cor adalligatur in panno leucophæo. Cãcri fluuiatiles triti in oleo & aqua perunctis ante accessiones in febribus prosunt. Aliqui & piper addunt. Alij decoctos ad quartas in uino e balneo egressis bibere suadent in quartanis. Aliqui uero sinistrum oculum deuorari iubent. Magi quoq; oculis earum ante solis ortum adalligatis ęgro, ita ut cæcas dimittãt in aquam, tertianas abigi promittunt. Eosdemq; oculos cũ carnibus lusciniæ in pelle ceruina adalligatos, præstare uigiliam somno fugato tradunt. In lethargumq; uergentibus coagulo balenæ, aut uituli marini ad olfactum utuntur. Aliqui sanguinem testudinum lethargicis illinunt. Tertianis mederi dicitur, & spondylus per se adalligatus. Quartanis cochleæ fluuiatiles in cibo recentes. Quidam ob id asseruant sale, ut dent tritas in potu. Strombi in aceto putrefacti, lethargicos excitant odore. Prosunt & in cardiacis. Cachecticis, quorum corpus macie conficitur, tetheæ utiles sunt cum ruta ac melle. Hydropicis medetur adeps delphini liquatus, & cum uino potus. Grauitati saporis occurritur tactis naribus unguento, aut doloribus, uel quoquo modo obturatis. Strombi quoque carnes tritæ, & in mulsi tribus heminis pari modo aquę aut si febres sint, ex aqua mulsa datæ prosunt. Item succus cancrorum fluuiatilium cum melle. Ranæ quoque aquaticæ in uino uetere & farre decoctæ, ac pro cibo sũptæ, ita ut bibatur ex eodem uase: uel testudo decisis pedibus, capite, cauda, & intestinis exemptis, reliqua carne ita condita, ut citra fastidium sumi possit. Cancri fluuiatiles ex iure sumpti, & phthisicis prodesse tradũtur.

leucop. qui ex albo fuscoque constat.

Cachectici, quorum corpora sũpto cibo non reficiuntur.

Adusta sanantur cancri marini uel fluuiatilis cinere, & ea quæ feruenti aqua combusta sunt. Hęc curatio etiam pilos restituit cum cancrorum fluuiatilium cinere, putantq́ utendum cum cera & adipe ursino. Prodest & febri ranarum fellis cinis. Ignes sacros restinguunt ranarum uiuentium uentres impositi, pedibusq́ posterioribus pronas adalligari iubent, ut crebriore anhelitu prosint. Vtuntur & silurorum capitum cinere, salsamentorum ex aceto. Pruritum scabiemq́ non hominum modo, sed & quadrupedum efficacissime sedat iecur pastinacæ decoctum in oleo. Neruos præcisos purpurarum cauum quo se operiunt, tusum glutinat. Lethargicos coagulum uituli. adiuuat in uino potum oboli pondere: Item ichthyocollæ. Tremulos iuuat castoreum, si ex oleo perungantur. Mullos in cibo inutiles neruis inuenio fieri. Sanguinem piscium putant cibo sisti, polypo tuso illitoque. De quo & hæc traduntur, muriam ipsam ex se emittere, & ideo non debere addi in coquendo, secari harundine. Ferro enim intingi, uitiumque detrahere natura deserente. Ad sanguinem sistendum & ranarum illinunt cinerem, uel sanguinem inarefactum. Quidam ex ea rana (quam Græci calamiten uocant) quoniam inter harundines fruticesq́ uiuat, minima omnium & uiridissima, cinerem fieri iubent. Aliqui & nascentiũ ranarum in aqua, quibus adhuc cauda est, in calice nouo combustarum cinerem, si per nares fluat, inijciendum. Diuersus hirudinum, quas sanguisugas uocant, ad extrahendum sanguinem usus est. Quippe eadem ratio earum, quæ cucurbitarum medicinalium, ad corpora leuanda sanguine, spiramenta laxanda, iudicatur. Sed uitium, quod admissæ semel desyderium faciunt circa easdẽ tẽpora anni semp eiusdẽ medicinæ. Multi podagris quo-

quoq; admittendas censuere. Decidunt satietate, & pondere ipso sanguinis detractæ, aut sale aspersæ. Aliquando tamen adfixa relinquunt capita, quæ caussa uulnera insanabilia facit, & multos interimit, sicut Messalinum e consularibus patricijs, cum ad genua admisisset. Inuehunt uirus remedio uerso, maximeque ruffæ ita formidantur. Ergo sugentia ora forficibus præcidunt, ac ueluti siphonibus defluit sanguis, paulatim'que morientium capita se contrahunt, nec relinquuntur. Natura earum aduersatur cimicibus, & suffitu necat eos. Fibrinarum pellium cum pice liquida combustarum cinis, narium profluuia sistit, succo porri mollitus. Extrahit tela corpori inhærentia. Sepiarum testæ ex aqua, salsamentorum carnes, cancri fluuiatiles triti, siluri fluuiatilis, qui & alibi quàm in Nilo nascitur, carnes impositæ recentes siue salsæ. Eiusdem cinis extrahit, & adeps, & cinis spinæ eius uicem spodij præbet. Vlcera quæ serpūt, & quæ ex his excrescunt, ex capite menarum cinis uel siluri coercet. Carcinomata percarum capita salsarum, efficatius, si cineri earum misceatur sal, & cunila capitata, oleo'que subigantur. Cancri marini cinis usti cū plūbo, carcinomata compescit. Ad hoc & fluuiatilis sufficit cum melle, linea'que lanugine. Sed aliqui malunt alumen melque miscere cineri. Phagadenæ siluro inueterato, & cum sandaracha trito, cacoethe & nomæ & putrescentia cybio uetere sanantur. Vermes uero innati, ranarum felle tolluntur, fistulæ aperiuntur, siccantur que salsamentis cum linteolo immissis, intra'que alterū diem callum omnem auferunt, & putrescentia ulcerū, quæ'que serpunt, emplastri modo subacta & illita.

Nome præter alia significat & pasturam. Hinc nome apud medicos ulcera dicuntur depascentia corpus, ipsumque deuorantia quodammodo. Linea lanugine. i. ipsius lini, quod cum primum e terra erumpit, uidetur barbam præ se ferre, quam hic uocat lanuginem.

Et salpe expurgat ulcera in linteolis concerptis. Item echinorum testæ cinis. Carbunculos coracinorum salsamenta illita discutiunt. Item mullorum salsamenti cinis. Quidam capite tantum utuntur cum melle, uel coracinorum carne. Muricum cinis cum oleo tumorē tollit. Cicatrices fel scorpionis marini. Verrucas tollit glani iecur tritum. Capitis menarū cinis cum allio tritus. Ad thymia crudis utuntur. Fel scorpionis marini ruffi. Smarides tritę illitę. Alex deferuefacta unguiū scabritiam, cinisq́ꝫ e capite menarum extenuat. Mulieribus lactis copiam facit glauciscus eiure sumptus, & smarides cum ptisana sumptæ, uel cum fœniculo decoctæ. Mammas ipsas muricum uel purpuræ testarum cinis cū melle efficaciter sanat. Cancri fluuiatiles illiti, uel marini pilos in mamma, uel muricum carnes appositæ tollūt. Squatinæ illitæ crescere mammas non patiuntur. Delphini adipe linamenta accensa excitant uuluæ strangulatu oppressas. Item scombri in aceto putrefacti. Percarum uel menarum capitis cinis admixto sale & cunila, oleoq́ꝫ, uuluę medetur. Suffitione quoqꝫ secundas extrahit. Item uituli marini adeps instillatur igni naribus in termortuarum uuluæ uitio, & cum coagulo eiusdem in uellere reimpositus. Pulmonis marini cinis adalligatus, egregie profluuia purgat. Echini uiuentes tusi, & in uino dulci poti. Sistunt & cancri fluuiatiles triti in uino potiq́ꝫ. Item siluri suffitu pręcipue. Africi faciliores partus fieri dicūtur. Cancri ex aqua poti profluuia sistere: ex hyssopo purgare. Et si partus strangulettur, similiter poti auxiliantur. Eosdem recētes uel aridos bibunt ad partus continendos. Hippocrates ad purgationes, mortuosq́ꝫ partus utitur illis cum quinis lapathi radicibus, cum ruta & fuligine tritis, & in mulso datis potui. Item in

Salpe piscis, bos alias appellatur.

Ad thymi. Apud Celsum tria legūtur carcinomatis quod malum nostri cancrum dicunt, genera. Primum cacoethes. cum ulcus quidē pressum est, sed quæ circa sunt intenduntur & intumescūt, secūdū sine ulcere est. tertium uocatur thymium.

in iure cocti cum lapatho & apio, menstruas purgatio-
nes expediunt, lactisque ubertatem faciunt. Item in febri,
quæ sit cum capitis doloribus, & oculorum palpitatio-
ne. Mulieribus in uino austero poti prodesse dicuntur.
Castoreum ex mulso potū purgationibus prodest. Con
traque uuluam olfactum cum aceto & pice, aut subditum
pastillis. Ad secundas etiam uti eodem prodest cum pa-
nace in iiij. cyathis uini. Et a frigore laborantibus ter-
nis obolis. Sed si castoreum fibrum'ue supergrediatur
grauida, abortum facere dicitur, & periclitari partus si
superferatur. Mirum & quod de torpedine inuenio. Si
capiatur cum luna in libra fuerit, triduo asseruetur sub
dio, faciles partus facere, postea quoties inferatur, adiu-
uare. Et pastinacæ radius adalligatus umbilico, existi-
matur idem facere, si uiuenti ablatus sit, ipsaque denuo in
mare dimissa. Inuenio apud quosdam ostracium uoca-
ri, quod aliqui onychen uocant, hoc suffitum uuluæ pœ
nis mire resistere. Odorem esse castorei, meliusque cum
eo ustum proficere. Vetera quoque ulcera & cacoethe e-
iusdem cinere sanari. Nam carbunculos & carcinoma-
ta in mulierum parte præsentissimo remedio sanari tra-
dunt cancro fœmina, cum salis flore contuso post plenā
lunam, & ex aqua illito. Psilothrum est thynni sanguis,
fel, iecur, siue recentia, siue seruata. Iecur etiam tritum,
mixtaque cedria plumbea pyxide asseruatum. Ita pueros
pubescere negauit mango Salpæ obstetrix. Eadem uis
est pulmonis marini: Leporis marini sanguine & felle,
uel si in oleo lepus hic necetur: Cancri scolopendræ ma
rini cinis cū oleo: Vrtica marina trita ex aceto scillite.
Torpedinis cerebrum cum alumine illitum xvi. luna.
Ranæ paruæ (quam in oculorum curatione descripsi-
mus) sanies efficacissime psilothrum est, si recens illina-

Est etiam cancer mas.

Salpe mulieris nomen.

Cinis, subaudi, est psilothrum, quod medicamē tum dicitur expi latorium.

tur,& ipsa arefacta ac tusa,mox decocta tribus heminis
ad tertias,uel in oleo decocta æreis uasis . Eadem men-
sura alij ex quindecim ranis conficiunt psilothrum, si-
cut in oculis diximus . Sanguisugæ quoq; tostæ in uase
fictili,& ex aceto illitæ,eundem contra pilos habẽt effe
ctum. Et suffitus urentium eas,necat cimices inuectas.
Castoreo quoq; cũ melle pro psilothro usi pluribus die-
bus reperiuntur. In omni autem psilothro uellendi pri-
us sunt pili. Infantiũ gingiuis dentitionibusq; multũ cõ
fert delphini cũ melle dentium cinis,& si ipso dente gin
giuæ tangãtur . Adalligatusq; idẽ pauores repentinos

Canicula hic piscis nomen

tollit. Idem effectus & caniculæ dẽtis. Vlcera uero quæ
in auribus,aut ulla corporis parte fiant,cancrorum flu-
uiatiliũ succus cũ farina hordeacea sanat. Et ad reliq̃s
morbos triti in oleo perunctis prosunt. Siriasesq; infan
tium spõgia frigida cerebro humefacto rana inuersa ad
alligata efficacissime sanat,quam aridam inueniri affir-
mant. Mullus in uino necatus,uel piscis rubellio,uel an
guillæ duæ,itẽ uua marina in uino putrefacta, ijs qui in
de biberint,tædium uini affert. Venerem inhibet eche-
neis,& hippopotami frontis e sinistra parte pellis in lin
teolo adalligata,fel'ue torpedinis uiuæ genitalibus illi
tum: Concitant cochlearum fluuiatilium carnes sale ad
seruatæ,& in potu ex uino datæ: Erythini in cibo sump
ti: iecur ranæ dryophytes et calamitæ in pellicula gruis
adalligatum,uel dens crocodili maxillaris annexus bra
chio,uel hippocampus,uel nerui rubetæ dextro lacer-
to adalligari. Amorem finit in pecoris recenti corio ru-
beta adalligata. Equorum scabiem ranæ decoctæ in a-
qua extenuãt,donec illini possit: aiuntq; ita curatos nõ
repeti postea. Et salpe negat canes latrare,quibus in of-
fa rana uiua data sit. Inter aquatilia dici debet calamoch

nus

nus, latine adarcha appellata. Nascitur circa harundines tenues e spuma aquę dulcis ac marinę, ubi se miscēt. Vim habet causticam, ideo acopis additur contra perfrictionum uitia. Tollit & mulierum lētigines in facie. Et calami simul dici debent. Phragmitis radix recēs tusa luxatis medetur, & spinæ doloribus ex aceto illita. Cyprij uero, qui & donax uocatur, cortex alopetijs medetur ustus, & ulceribus ueteratis. Folia extrahunt, quę infixa sunt corpori & igni sacro. Paniculæ flos, si aures intrauerit, exurdat. Sepiæ atramento tanta uis est, ut in lucerna addito Aethiopas uideri ablato priore lumine, Anaxilaus tradat. Rubeta decocta & in aqua potu data, suū morbis medetur, uel cuiuscunq; ranæ cinis. Pulmone marino si cōfricetur lignum, ardere uidetur, adeo ut facula ita præualeat.

Pannicula coma harundinis.

De spongiarum natura iterum, & de medicinis ex ipsis, ex lib xxxi.

Cap. XI.

SPongiarum genera diximus in naturis aquatiliū marinorum. Quidam eas ita distinguunt. Alias ex his mares existimauere, tenui fistula, spissioresq;, persorbētes, & quæ tinguntur in delitijs aliquando & purpura. Alias fœminas, maioribus fistulis ac perpetuis. E maribus duriores alias, quas appellant tragos, tenuissimis fistulis æque densissimis. Candidæ cura fiunt e mollissimis recentes per æstatem tinctæ salis spuma, ad lunam & pruinas sternuntur inuersæ: hoc est: qua parte adhæsere, ut candorem bibant. Animal esse docuimus, etiam cruore inhærente. Aliqui narrant & auditu regi eas contrahiq; ad sonum, exprimentes abundantiā humoris, nec auelli petris posse, ideo abscindi, & saniem emittere. Quin & eas, quæ ab aquilone sunt genitæ,

Pro regi rigere aliqui legendum putant, ut significet horrere, quia mox sequitur cōtrahique, nāquod riget protinus contrahitur.

tæ, præferunt cæteris. Nec usque diutius durare spiritum medici affirmant. Sic & prodesse corporibus, quia nostro suum misceant, & ideo magis recentes, magisque humidas: Sed minus in calida aqua, minusque unctas, aut unctis corporibus impositas. Et spissas minus adhærescere. Mollissimum genus earum penicilli, oculorū tumores leuant ex mulso impositi. Item abstergendæ lippitudini utilissimi. Eam, quæ tenuissima est, mollissimā quoque esse oportet. Imponuntur spongiæ ipsæ epiphoris ex posca, & aceto calido ad capitis dolores. De cætero recentes discutiunt, molliunt, mitigant: ueteres conglutinant uulnera. Usus earum ad abstergenda, fouenda, operienda à fotu, dū aliud imponatur. Ulcera quoque humida & senilia impositæ siccant. Fracturæ & uulnera spongijs utilissime fouentur. Sanguis rapitur in secādo, ut curatio perspici possit. Et ipsæ uulnerum inflammationibus imponuntur, nunc siccæ, nunc ex aceto inspersæ, nunc è uino, nunc ex aqua frigida. Ex aqua uero cælesti impositæ, secta recentia non patiuntur intumescere. Imponuntur & integris partibus, & fluxione occulta laborantibus, quæ discutienda sunt, & ijs, quę apostemata uocant, melle decocto perunctis. Item articularijs, alias aceto salso madidæ, alias è posca. Si ferueat impetus, ex aqua. Eædem & callo salsa madidæ. At contra scorpionum ictus ex aceto. In uulnerū curatione & succidæ lanæ uicem implent, nunc ex uino & oleo, nunc ex eadem. Differentia hæc, quod lanæ emolliunt, spongiæ coercent, rapiuntque uitia ulcerum. Circumligantur & hydropicis siccæ, uel ex aqua tepida poscáue, utcunque blandioribus opus est, opeririue aut siccare cutem. Imponū tur & his morbis, quos uaporari oporteat, feruenti ex aqua perfusæ expressæque inter duas tabulas. Sic & impositæ

Nostro suum. i. nostro spiritui suum.

Alii legunt pro operienda, aperienda.

Callo imponuntur salsa. s. aqua.

eadem. s. salsa aqua.

uapor. ut sunt mulierū morbi.

sitæ stomacho prosunt, & in febri contra nimios ardores. Splenetícis e posca, ignibus sacris ex aceto. Efficatiores quãdo aliud imponi oportet, sic ut sanas quoq; partes spatiose operiãt. Sanguinis profluuiũ sistunt ex aceto, aut frigida. Liuorem ab ictu recentem, ex aqua salsa calida sæpius mutata. Tolluntq; testium tumorem doloremq; ex posca. Ad canum morsus utiliter cõcisæ imponuntur ex aceto, aut frigida, aut melle, abunde subinde humectandæ. Africanæ cinis cũ porri sectiui succo, sanguinem reijciẽtibus haustu salis ex frigida prodest. Item cinis cum oleo uel aceto fronti illitus, tertianas tollit. Priuatim Aphricanæ ex posca tumorem discutiũt. Omnium autem cinis cum pice crematarum, sanguinẽ sistit uulnerum. Aliqui raras tãtum ad hoc cum pice uerunt. Et oculorum caussa comburuntur in cruda olla figulini operis, plurimum proficiente eo cinere cõtra scabricias genarum, excrescentesq; carnes, & quicquid opus sit ibi destringere, spissare, explere. Vtilius in eo usu lauare cinerem. Præstant & strigilum uicem, linteolorumq; affectis corporibus. Et contra solem apte protegunt capita. Medici inscitia ad duo nomina eas redegere, Africanas, quarum firmius sit robur, Rhodiacasq;, ad fouendum molliores. Nunc autem mollissimæ circa muros Antiphelli urbis reperiuntur. Trogus author est, circa Lyciam penicillos mollissimos nasci in alto, unde ablatæ sint spõgiæ. Polybius super ægrũ suspẽsos quietiores facere noctes.

Ad duo nomina .i. duo genera.

☞PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS MEDICI, de Romanis piscibus Libellus, ad Ludouicum Borbonium Cardinalem amplissimum.

SVades Reuerēdissime ac Illustrissime Domine, qui etiam iure optimo compellere potes, ut ea literis tradam, quę de Romanis piscibus erudite atq; subtiliter fuere disputata, quum te & Ioannem Lotharingum præclarissimi ingenij Cardinalem Clemens Pontifex familiari conuiuio, ueluti animum remissurus, hylariter excepisset. Res est cognitu, tractatuq; difficilis, cum propter infinitam ferè naturæ piscium uarietatem, quæ me & plærosq; alios admodum curiosos hactenus irrito labore fatigauit, tum propter incredibilem scriptorū discrepantiam, qui ex multiplici linguarū uarietate perpetuas huiusmodi studijs tenebras offuderunt. Quibus de caussis necesse est, ut animus rei difficultate permotus, totum hoc munus, quod maioribus doctrinæ, exactiorisq; neruis esset extendēdum, haud mediocriter reformidet. Sed ea est dignitas, amplitudoq; tua, & morū suauitas cum singulari optimarum literarum cupiditate coniuncta, ut honoris mei uel gloriolæ, si qua ingenuis studijs parta est, iacturam plane facere, quàm honestissimo desyderio tuo penitus deesse malim. Verum tu postea iudicaueris, an ego qui rem tam difficilis argumenti & maiorem omnino ingenij facultatē postulantis suscepi, impudentiæ culpa uacauerim, quum eius nominis ueniam iam deprecer, ut officiosus & perhumanus appaream. Proinde hunc libellum ab acrioribus censoribus minus seuere iudicari uelim, quando eum festiua

qua

quadam hylaritate ueluti ludibundus, dũ multi per hęc Saturnalia aleæ, cæterisq; uoluptatibus uacarent, antiquis meis earũ rerum obseruationibus memoria repetitis, excogitauerim, & aliqua ex parte perfecerim. Eritq; hic male feriati hominis ingenuus labor, fortasse præludiũ iusti, absolutiq; operis, si qui literis ac industria pollent, proposita oculis, & à me quasi per Transennam cõmonstrata, accuratius contemplari, ac uberioribus interpretationibus illustrare uoluerint. Ego certe hoc munere, & tibi in primis, & illis gratum fecisse uidebor, animusq; etiam meus tanq̃ amœniore diuerticulo recreatus ad institutas absoluendæ historiæ lucubrationes & firmior & alacrior reuertet̃. Exibit enim in publicum propediem huiusmodi laboriosissimi operis prima Decas non sine aliqua spe immortalitatis, & tum quidem multo auctior & ornatior, si eam tibi & Francisco regi tuo, quem liberalibus studijs delectari audiuimus, aliquando placuisse cognouero. Vale ex Vaticano IIII. Calendas Aprilis. M. D. XXIIII.

LIBELLI DE PISCI- BVS CAPVT PRIMVM.

SIngulorum piſciũ nomina, naturamq́ in- dagare, ſicuti infiniti prope laboris eſt, & doctrinæ haud mediocris, ita pręſentis nõ erit inſtituti, quum Græci authores qui na turæ rerum abdita diligentiſſime perſcru tati ſunt, ſua'que nomina ſingulis rebus indiderunt, de toto aquatilium genere uarijs uoluminibus abunde cõ- ſcripſerint. Necq; ipſum Plinium ciuem meum penitus imitabor, qui ut Græcorũ inuenta Romanis litteris ex- primeret, tota natura ubicq; mirifice rep̃ſentata, nõ mo- do concluſi maris, ac fluminum piſces, uerũ etiam ipſas belluas toto oceano fugientes perſecutus eſt. Itaque no ſtrorum litorum finibus nõ abſcedam, atq; ij tantum pi ſces, e quibus Romæ generoſa parantur obſonia, e Tyr- rheno mari, fluuijs, ac lacubus Italiæ citabuntur. Necq; mirum curioſis eſſe debuerit, ſi quæ ueteres prodidere, noſtræ tẽpeſtatis piſcationi, omni ex parte, minime con ſenſerint: Nam, & ſi eaſdem ſemper animantium ſpeci- es perpetuo naturæ ordine terra mariq́ fuiſſe, nequaq́ ſit dubitandum, multa tamen uarijs de cauſſis uariata, atq; immutata uidentur. Inſani ſiquidem principes qui- bus opes ludibrio erant, ſicuti hominum, ita & piſcium colonias aliquando deduxere, ut luxuria in prõptu ha- beret, quæ paulo ante fruſtra concupiſſet, & nouos inde incolas ipſa litora mirarentur. Scarum enim illum præ nobilem in Græcia piſcem, quẽ Ennius poeta, ob excel- lentiam Iouis cerebrum uocitabat: Optatus Tiberij Cæ ſaris libertus, ut ante eũ Lucullus, ceraſum, Campanis litoribus importauit, cuius ſobolẽ uel penitus interijſſe

uel

uel, ut credi par est, longo patrij maris desyderio abductum, in Græciam remeasse putamus. Acipenser quoque ille regum mensis usurpatus, & conuersa in caput squamarum serie insignis, eadem ratione, quod fortasse fuerit inquilinus, hac ætate proculdubio euanuit. Peregrinantur enim sua sponte pisces, sæpiusque natalibus locis demigrant, tædioque litorum, uel ab innata lasciuia, ad quærendas nouas sedes per immensa pelagi spatia deferuntur. Nouos etiam pisces retibus exceptos piscatores admirati sunt, quos de extremis maris recessibus, imisque profundi gurgitibus prouenire, uel per Gaditanas fauces in nostrum à uastissimo oceano irrũpere credendum est, sicuti etiam certis annorum curriculis inusitati generis aues è diuersa terrarum regione in Italiam aduolasse tradũtur. Multa quoque piscatoriæ artis instrumenta defecere, quum eius præcepta, aut per manus tradi, aut literarum memoriæ, intercidentibus ueterum libris, demandari nequiuerint, & contra nouæ fraudes, aliæque insidiæ à recentioribus sint excogitatæ, quę res nõ mediocrem ad dinoscendos pisces difficultatem attulisse uidetur, ita ut existimare liceat quosdã pisces, uno argumẽto quod nusquam appareant, uitare retia, atque astu nostrorum artes ludificari, aliquos uero frequentius, quam antiquis euenerit, capi, de quorum nomine nunc maxime dubitemus. Constat nonnullos pisces, alias in nullo censu, quod mire principum gulę placuissent, summam per aliquod tempus publica quadam assentatione claritatẽ obtinuisse, qui postmodum extincta cum his regibus raritatis opinione, quum omnes saporem ipsum ęquali ac libero totius populi iudicio metirentur, uilissimo demũ pretio uenierunt, uti modo Merlucciæ plebeio admodum pisci. Adrianus Pontifex sicuti in administrãda re

 publi-

publica hebetis ingenij, uel deprauati iudicij, ita in esculē-
tis insulsissimi gustus, supra mediocre pretium, ridente to
to foro piscario, iam fecerat. Nec mirum esse debet, quum
diuersum alij atq; alij palatum habeant, numerosiora que
obsonia mari petantur, q̃ terra, siquidem non modo uolu
cres, cæterasq; syluarū animantes fœcūdissima maria gig-
nunt, sed ex ipsis piscibus etiam instrumenta, stupenda ua-
rietate, quæ homines imitentur, in fabriles usus abūde prę
beant, nihilq; animo concipi uel oculis uideri possit, intra
hoc cœlum (quo nos tegimur) quod ipse Neptunnus pa
ter, in opulentissimis profundi regnis non habeat, & beni
gne largiatur. Sed & maior piscium copia, maiorq; uarie-
tas, q̃ nunc conspicere contingat, antiquitus Romæ uise-
batur, quum in summo luxus fastigio peregrini pisces à re
motissimis Ionij, Siculiq; litoribus peterentur: obidq; ex-
peditissimi myoparones essent instituti, quorum remigio
quicquid Brūdusij, Messanæ, Tarentiq; excelleret, Roma
nis culinis protinus inferret, eosq; tum maxime sapidos
pisces æstimarent, quos & maximo piscantium labore, &
summis sumptibus quæsiuissent. Sed hoc certe parum fu
erit, Ionij incolas perforatis inclusos caueis captiuos tra-
here, adnitentibusq; remis ac uelis lōginqua uerrere ma-
ria, ut magnæ Græciæ obsonia non recentia modo, uerū
adhuc spirantia Romani lurcones absumerēt. Quum in
quibusdam Cæsaribus ea quoq; prurientis gulæ petulā-
tia fuerit, ut in maritimis regionibus pisces fastidirent,
quos postea in montanis, locisq; mediterraneis quum es
sent, ueluti sordescente uenatione per dispositos equos,
& quidem multa timentium seruorum diligentia addu-
ci curarent. Adinuentæ quoq; fuere piscinæ, quas ad ma
re insano quidem sumptu extruebant, ut sæuientium a-
liquando uentorum rabies & hac quoq; hominum indu-
stria

Hinc illud Hora. Tres mihi conuiuæ prope dissentire uidentur, Poscentes uario multum diuersa palato.

ſtria uinceretur,nec caſtigari luxuria poſſet,etiam ſi Ae
olus atque Neptunnus,cæteraque ponti numina, infen
ſa ac infeſta epulantibus eſſe uoluiſſent. Itaque nullo an
no tempore,nullisque in locis,etiam à mari procul re-
motis,egregij Romanis menſis piſces defuere. Siquidē
ſtudium eius rei, curamque illam, inueterati gētis mo-
res excoluerant: quando nulla uel frigidulo (ut poeti-
ce dicam) digna equite cœna cenſeretur, quæ marinis
dapibus caruiſſet. Nos uero contra,niſi lege coacti pi-
ſcibus ueſcimur, quū certis diebus uolucrem aut qua-
drupedem eſitaſſe,piaculum ſit. Ita ut, ſi animi religio-
ne ſoluerentur,nunquàm profecto piſces ipſos, ſed ca-
pum,perdicem ganeones,pro mulis,auratis,ac lupis ſe
ctaturos appareat,atque hos tantum fortaſſe,quum gu-
la quotidianis expleta ferculis, noua ſibi ad inuitādam
famem diuerticula quæſiuerit. Tantumque abeſt, ut pi
ſces cupidius affectemus,ut quadragenis illis uerni ieiu
nij diebus, neque deorum metu,neque infamia permo-
ti, aliquando ad uorandas carnes, deteſtanda cupidi-
tate rapiamur. Quibus de cauſis effectum eſt,ut negle-
cta piſcatione,uetera piſcium nomina penitus exoleue
rint. A noſtris enim uere tantum ipſo,enixe, certatimq́;
piſcantibus omnis generis piſces minime capiuntur.
Etenim piſces pro uarietate temporum modo uagātur,
modo latibula quærunt,in quibus ſe condant, neque il-
lorum captura eſt,niſi certis ferè temporibus. Clupeæ
ad prima ſtatim ueris ſigna, quum ciconiæ aduentant,
ſubire Tyberim ſolent,inclinante uere nuſquàm appa-
rent. In Lario etiam lacu Pigus piſcis ille clauis cali-
garibus inſignis, ut Plinius refert, non aliàs unquàm à
me,hoc etiam curioſe quærente, conſpici potuit, quàm

Ver

Vergiliarum ortu, quibus maxime diebus Turdi gregatim ab alpibus in uineta deuolare consueuerunt. Sed id præsertim in caussa est, cur sæpius fallamur & difficillime uera ea uocabula deprehendamus, quod alijs atq; alijs nominibus diuersi litorũ tractus (ut Plinianis uerbis utar) eosdem pisces appellẽt. Nec mirum, quum rẽ Romanam, ita uolentibus fatis, barbaræ nationes afflixerint, ipsaq; Europa externarum gentium repleta colonijs, iampridem ueras literas, & antiquam dignitatem amiserit.

De Capidolio. Caput II.

MAximus inter pisces qui hæc litora attingant, Capidolius ab Romanis appellatur. Vnũ ex his, paucis ante annis, uasta corporis magnitudine, oculis ac dẽtibus truculentum, irata maria ingentibus propulsum fluctibus humilia in uada detruserunt non longe à Grauiscis in ora Tuscorum. Inhæsit multa reciprocantis pelagi iactatione fatigatus arenæ, quam pondere suo impetuq; sulcauerat. Neq; inde sua oppressus mole circũagere sese præ inertia, aut euadere potuit, quum maria modo tantis inflata fluctibus, subsecuta tranquillitate, frustra eluctantem frequentibus prægrandis caudę flexibus, fugamq; in altum multo gemitu molientem, quieto, uadosoq; in litore destituissent. Ergo perpetuis ueluti circumuallatus aggeribus, crebro multoq; reflatu indignabundus & expirans circumfusis populis prædæ atq; spectaculo fuit, mẽbratimq; securibus cæsus, & subditus prælis in lucernarum usus liquorem præbuit. Tãta erat beluæ uastitas, tantaq; eius dorsi altitudo, ut facile utrinq; pariter equitantibus mutuum aspectum eriperet. Fuere miraculo ingẽtia ossa in templorum uestibulis suspensa, & in his præsertim oculorum receptacula,

quæ orbem prægrandis dolij æquabant. Sed ea res mox in prodigium uersa est, sicuti tristi admodum euētu statim apparuit. Quum enim æstiui soles fœda putrescentis belluę uiscera feruoribus excitata sanie corrupissent (quāquam aggesta materia teterrimi odoris fastidio cremaretur) breui tamen adeo fœtido, noxioq́ꝫ uapore regionem suapte natura pestilentem infecit, ut ea inauditi spectaculi uoluptas multis incolarum funeribus eo autumno constiterit. Non multis quoqꝫ ante annis alia eiusdem generis bellua non lōge ab Arni fluminis ostio, sęuiente austri flatibus tempestate, uadis illisa est, quam morbo ac senio multaq́ꝫ agitatione cōfectam similis accolarum concursus dissecuit, extractisq́ꝫ ad spectaculū costis, spinæq́ꝫ spondylis, continuo concremauit, ne graui eo halitu aer adfectus insalubrior redderetur. Capidolium à Plinio Orcam uocatum esse crediderim, quā spectante populo Romano Claudius Cæsar Ostiensi in portu longo plagarum ordine conclusam, ueluti maximo in circo, uel ipsa Naumachia, Prętoriana classe inuectus, circumfusoq́ꝫ milite, expugnauit atqꝫ confecit, nec minore quidem spectaculi gloria, q̄ꝫ antea serpentem ad Bagradā Attilius Regulus admotis castris, & directis catapultis atqꝫ balistis oppresserit. Orcæ cum balænis continenter bella gerunt, & toto oceano cruentissimis inter se prælijs dimicant, utræq́ꝫ Gaditanum fretum aliquando ingrediuntur. Est & in oceano cetarij generis Rota, quam uidit Lusitania classis, dum extremum Aethiopiæ promōtorium superaret, geminas dorso rotas gestare uidebatur, ad earum similitudinem quæ frumētarias molas impellente uento editioribus in locis circūducunt. Extimuere tantæ belluę congressum periti nautæ, qui modo ignoti maris immensos fluctus, certaq́ꝫ pe

uidit nostra. s. tempestate.

ricula contempserant, satiusq́ue uisum conuersis uelis fugam capere, quàm expectare belluam, terribili fragore uasta, spumosaq́ue maria proscindentem, & superbo fremitu ueluti conspectis hostibus prælium cientem. Neque eam terruere excussa nauibus torměta, quorum boatibus ea maria resonabant, fugientesque procul dubio immanis bellua uastis mæandris adnatando fuisset consecuta, uentis ac uelis celeritate cedentibus, nisi mirabũda substitisset, quippe quæ perpetuam intendentibus fugam satis gloriosa insectatione, uictoriam expressisse uideretur. Conspicitur & Physiter piscis extra colũnas herculeas, Flator ab Latinis appellatus, qui frequenti re flatu præaltas undas euomere solet: ita ut procul nauigiorum uela ob spumantis aquæ candorem appareãt. Eæ belluæ superiore biennio quibusdam Cæsarianis è Britania in Hispaniam traijcientibus magnum terrorě incussere, quum Gallorum nauigia ea uelorum specie è longinquo representassent, qui tum arděte bello, ea maria infestis classibus obsidebant. Sed iã oceano suas belluas relinquamus, quum fercula mensarum potius, quã naturæ maris tam multa miracula simus narraturi.

De boue bellua & Canicula.

Caput III.

SEd antequàm ad eos pisces, qui conuiuijs inferuntur, proposito ordine ueniamus, Bos ille ingentis latique corporis, natantium hominum deuorator, minime erit prætereundus. Is admirabili calliditate in mari nostro grassatur, portusq́ue & exculta ædificijs litora sæpius frequentat, inde occultus & quasi torpens simulata segnitia natantes adoritur. Bendinellus Saulus Cardinalis sæpius referre solebat, se admodum adolescentem cum alijs eius ętatis sodalibus natandi studio, nõ longe à portu

tu in mare altius prouectum, in huiusmodi belluam in=
cidisse, quæ sedato ac maxime tranquillo in mari quieta
& immobilis distincte atq; perspicue uisebatur, cuius a
spectu adeo expauerit, ut timore præpediente ab solita
natandi peritia pene destitutus, ægre se receperit. Ae=
thiopem uero qui peregregius erat urinator, quiq; ipsis
adolescentibus corpora eorum ac animos maris pericu
lis paulatim insuefaciendo, natandi artem tradebat, sub
sidenti in insidijs belluæ obuium celeri natatu prodijs=
se, siue ut pauentium mentes, eius monstri incursu con=
sternatas, despecto periculo confirmaret, uel ut ipse ad
referendum miraculum belluæ effigiem propius intue=
retur. Sed belluam prædæ intentam illum temere adna
tãtem immani exceptũ hiatu confestim deuorasse, neq;
alia infœliciter pereuntis Aethiopis ædita signa, pręter
spumam cruentam, agitato in mari ebullientem, ita ut
prius multiplici & peracuta dentium serie confixus, q̃
deuoratus esse crederetur. Oppianus homicidam bouẽ
elegantissime descripsit, cuius sentẽtia à Lippo pulcher
rimis uersibus latine tralata est, quum cæteri authores
de hoc nullam ferè mentionem fecissent. Est & infesta
natantibus ipsa canicula, quæ mortiferis potius denti=
bus mordicus homines dilacerat, quàm deuoret, quum
capite tantum sæua, castigatum habeat uentrem, & in
prælongam ac tenuem exeat caudam, cuius astus, natu=
ram'que multo simul metu, multa'que au=
dacia memorabilem, si referre cona=
rer, insulsissime facerem, quum
Plinius incomparabili e=
legantia breuita=
teq;, ut miri eius ingenij
mos fuit, suo loco eam expresserit.

De Sturione. Caput IIII.

EX omnibus piscibus, qui lautioribus apponũtur mẽsis, nullus est toto mari uel ãnibus ipso Sturiore procerior atq; sapidior. Siquidem ubiq; terrarum & maximum pretium & summam dignitatem hac ętate semper obtinuit. Maria hunc gignunt, sed eum flumina maxime nobilitant, pinguescit enim dulcium aquarum haustu, subagrestemq; illum saporem exuit, qui præalto in mari concipitur. Magnos amnes perquã libenter subit, propterea in Nilo, Tanai, & Danubio, Padoq; fluminibus maxime reperitur. Caput eius rostratum est, & ad effigiem quadratæ pyramidis protensum. Os illi est sine maxillis, sine dentibus, diuersum penitus ab reliquorum piscium forma, idq; sub mento in ipsa prope iuguli parte ad similitudinem fistulæ harundineæ rotundum, semperq; patens, & chartilagineum & summe candidũ, cuius hiatum in procerioribus hasta brachij crassitudine haud facile impleret. Cæterum totum caput dura potius & callosa chartilagine, quàm certis ossibus constat, quod ex lento quodam & præpingui mucore concretũ esse uidetur. Naribus autem omnino quæ illi pertenues sunt supra rostrum, refrigerantur, quũ branchijs omnino latis careant, & si quam hauriendo recipit aquam, illam eodem prono ore statim regerit. Toto autem dorso crassiores quædam squamæ ossea duritie, certo numero ordineq; distinctæ, intercurrente spinæ acie ad elegãtiam eminent, uti in magnificẽtioribus ualuis hodie uidemus, quas ferrei atq; inaurati claui certa serie confixi decentissime figurant, cæteræ corporis partes cuticulari & scabro admodum operimento potius q̃ perpetuis squamis integũtur, idq; ad subuiridis atriq; coloris speciem. Quo nomine autem ab antiquis Sturio fuerit ap-

pel

[Marginal notes: "& in Rheno" (beside "propterea in Nilo, Tanai…"); "refri. s. respirando & expirando aerem." (beside "refrigerantur…")]

pellatus, haud facile diuinauerim, quãdo grauissimi nostræ tempestatis scriptores uarijs sententijs inter se dissentiant, quæ quidem magno etiam interuallo à ueritate discrepant. Et has quidem sentẽtias uanis innixas cõiecturis aliquanto facilius erit confutare, q̃ uerum certumq; nomen celebratissimi piscis in medium afferre. Satis tamen fuerit, curiosos de alienis erroribus admonuisse, ut aliud ipsi accõmodatius ac melius inuestigẽt, si nos fortasse minus proprium nomen inuenisse uidebimur. Rhaphael Volaterranus, qui laboriosissimum cũctis de rebus uolumen condidit, arbitratus est eum hodie Sturionem esse, qui apud Græcos Labrax, apud Latinos uero Lupus fuerit, cuius opinionem plæriq; Romanæ Academiæ proceres & ante alios Thomas Phædrus & Portius Camillus omnibus conuiuijs probauerunt, his maxime adducti argumentis, q lupus Tyberinus longe omnium piscium apud Romanos esset laudatissimus, & is maxime qui cloacas urbis intraret, atque inter duos pontes caperetur, qua una modo conditione Sturiones omnium iudicio summam saporis commendationem accipiant, sicuti eos Horatius & Iuuenalis, itemq; M. Varro & Plinius & Macrobius celebrarint, referre etiam ad prisci nominis coniecturam, Sturiones hodie à nostris piscatoribus Lupos appellari, solereque eos capto eo pisce, quum retia trahũt, clariore uoce præ lætitia, lupi nomen ingeminare. Quæ coniecturæ multis rationibus mihi admodum friuolæ uidentur, quũ id genus argumenti apud dialecticos fallacissimum sit: lupi Tyberini sunt delicatissimi, sed Sturiones Tyberini sunt delicatissimi, igit Sturiones sunt lupi. In hoc enim non comparatur totum luporum genus cum alijs piscibus, sed eorum qui in Tyberi capiuntur, ab his qui in al-

to degant mari, differentia exprimitur. Ridiculũ enim
esset etiam apud mediocriter intelligẽtes, parasitos Lac
ciam, Spigolam, atq; Lampetram in Tyberi pariter ca-
ptos, qui mox latine nominabuntur, uno prælato Sturi
one in secundis dignitatis gradibus collocare, quũ Stu-
rio non semper sit gratissimus, utpote qui in medijs tan
tum solstitij feruoribus laudetur. Pogius doctioris Po-
gij filius in senectute non modo eruditus, sed usq; ad ira
cũdiam in conditura ferculorum morosus, & uehemẽs
parasitus, quum Sturionem apud antiquos Lupum fu-
isse & ipse crederet, in pontificijs, quas maxime sectaba
tur, cœnis, dicere solebat, ueteres insulsum habuisse pa-
latum, ꝙ tantopere Lupum celebrassent, eum enim car-
nes habere cum præduras, tum multa glutinosioris suc
ci exuberantia insuaueis, quæ prius appetentes satient
& expleant, quàm delectent. Propterea nõ domini, sed
familiæ potius mensis apponendum esse censebat, uno
tantum excepto capite, cuius elixi & leucophago con-
diti latebras & recessus omnes ipse furcula simul ac di-
gitis auidissime scrutabatur. Sed ne in refellendis eorũ
argumentis nimium immoremur, dicamus Lupum ali-
um esse piscem à Sturione, Spigolã uulgari nomine nũ-
cupatum, quo probato, Sturionem illis sine nomine re-
linquemus. Spigola hodie apud Romanos est, qui in
Venetia Varollus, Lupacius in Liguria, in Hetruria A
raneus, & Lupus in Hispania uocitatur. Romanus in-
ter Tyberinos captus pontes, omnium consensu palmã
obtinet, constat enim piscatorum testimonio, qui plu-
ris illum quàm in alto captum mari, lautorum obsonato
ribus uendunt. Is admodum uorax subire cloacas solet,
& mediæ cryptas intrare Suburræ, ut ait Iuuenalis, cir-
ca sterquilinia et eiectitias sordes moratur, obuia queq;
de-

deuorat,nec piſcibus ullis,uel corruptiſſimis æſcis par-
cit,paucis ante menſibus quum in foro piſcario ingens
Spigola exenteraretur,oblongus ſerpens in uentre re-
pertus eſt. Quibus de cauſſis in Tyberi mirum in modũ
pingueſcit & adoleſcit,nec abnuerim etiam Sturiones
ſubire amnem,& pinguioribus aquis gaudere,eosq́ tã-
to ſapidiores eſſe,quanto magis à maris litoribus receſ-
ſerint. Sed hac ratione lupus & ſturio idem eſſe minime
probatur,quum utraq; differentia ambobus æque con-
ueniat,ſubire enim amnem Tyberinum, & ea paſtione
gaudere atq; pingueſcere,proprium potius ſpigolæ,q̃
ſturionis eſſe uidetur,quoniam non comparamus ſturi-
onem in alto captum,cũ eo quem in Vrbe expiſcamur,
quum nunquàm ferè ſturio uel certe rariſſime in præal-
to mari capiatur,ut piſcatorum teſtimonijs clare depre-
hendimus,at contra ſpigola & ex alto mari & ex amne
Tyberi quotidie hamis uel retibus extrahat̃. Ita ut Ho-
ratium id innuiſſe clare admodum exiſtimemus, quum
dicit: Vnde datum ſentis,lupus hic Tyberinus an alto
Captus hiet,pontes'ne inter iactatus,an amnis
Hoſtia ſub Tuſci,laudas inſane trilibrem
Mulum,in ſingula quem minuas pulmenta neceſſe eſt,
Ducit te ſpecies uideo,quid pertinet ergo
Proceros odiſſe lupos? quia ſcilicet illis
Maiorem natura modum dedit,his breue pondus.
Ieiunus ſtomachus raro uulgaria temnit. Patet igit̃ Lu-
pos capi & in alto,& int̃ põtes,qđ euidentiſſ. in ſpigolis
hodie cõtingit. Facit etiã ad cõiecturam non contẽnen-
dam,illud,Captus hiet: Quis enim unq̃ ſturionem uidit
hiantẽ? quũ os ſub roſtro habeat,& immobile & angu-
ſtũ,qđ q; nullo uel uertebræ uel ductilis mãdibulę bñfi-
tio dilatari põt, in ſpigola autẽ ſit repandum & latum,

uti

uti semper in ipsis uidemus, soleantq; ad elegantiam ob sonatores malo Arancio lassatas illas hiantis oris maxillas adimplere. Neq; illud obstiterit quod dicere solebat Amiterninus pertinax grammaticus, qui perpetuas cum syllabis lites exercuit, Horatium scilicet dixisse proceros odisse lupos, ut significaret paruos maioribus esse præstantiores, quod ad amussim Sturionibus ipsis congruere uideatur, quando lurcones & diligentissimi quiq; ganeonũ paruos Sturiones, quos Porcelletas appellent, repudiatis maioribus consectẽtur. Plurimum enim à poetæ sensibus bonus ille grammaticus aberrabat: Nam Horatius proceros lupos cum seipsis minoribus non cõparauit, sed cum mulis trilibribus, sicuti paulo post apertissime declarat, dicens maiorẽ à natura modum lupis esse datum, qui mulis parum crescentibus sit denegatus: uerum is tum egregie & magno quidem cũ ioco, quum superbe contẽderet, à nobis coarguebatur: interrogantibus enim quem nam antiquitus piscem fuisse Spigolam putaret, quam adeo libenter ipse edere soleret, si lupus Sturio diceretur, respondebat illam esse squillam, ridẽdo quidem errore, ut in proprio capite de Squilla, quum de Iuuenalis uersibus agetur, diffuse narrabimus. Sed id me plurimum mouet, q Spigola hodie in Hispania Lupus appelletur, quæ una terrarum latinã linguam magna ex parte incorruptam conseruauit, ipsiq; Ligures proximum latino eius piscis nomen pronuncient. Cæterum ad tollẽdam huius quæstionis ambiguitatem Aristotelis sententiam adducemus: ait enim Lupum esse squamigerum, & quaternis pinnis innatare, q̃ differentiæ ipsum Sturionem excludere uidẽtur, quum non squamis, sed cute potius aspera contegatur, nec quaternis pinnis ad natandi usum instruatur. Prætera Gale-

lenus in tertio de Alimentis: Lupum ait, subtiliorem generare sanguinem, & propterea cum perdicis carnibus quadam similitudine conuenire, quod nemo sanus medicus sturioni attribuere audebit, quum crassum potius humorem adgeneret, & ualde lētum, quod uiscosum dicunt, ipsisq; aptius adultæ uitulæ carnibus, q̄ perdicum leuissimis pulpis æquiperetur. Cornelius quoq; Celsus ad corroborādam Galeni authoritatem, Lupum & mulum inter pisces leuioris esse alimenti apertiss me dicit, quod & nostra quoq; experientia cotidie comprobatur. Porro ipse diuus Ambrosius in Hexahemero, teneritudinem in Lupo mirifice laudat, sicuti Plinius in eodem molliciem extollit, quum nec sturionis prætereneræ sint carnes, & luporum longe tenerrimę consensu omnium habeantur. Putauere etiam Plinium quum lupos à candore lanarum lanatos dictos asserat, de sturione intelligere uoluisse, q̄ sturionum carnes plurimū albicare uideantur quasi lupi, uel argentearum squamarum candore, uel summo illa lactearum carnium albore, cęteros omneis pisces non superent. Illud quoque Martialis: Laneus euganei Lupus excipit ora Timaui, eorum opinionem aperte redarguit, quoniam Timauus flumen in finibus Aquileiensium, cuius ostia celebrata à Vergilio, hodie magna ex parte extenuata, oblimataq;, sturiones nō habet, qui tamen Varollis & Troctis abundat. Quod si dicatur Martialem pro Timauo Medoacum, qui hodie Patauinorum Brenta est, accipere uoluisse, Eadem ratione respondemus, quum Brenta manifeste, aut nullos, aut certe paucissimos, & quidem minutulos sturiones ferat, ita ut Martialis celebraturus sturionē insulse admodum ad Timauum recurrisse uideatur, quum in propinquo Padum haberet, et sua magnitudine insignē, & mul

ta ſturionum copia longe clariſſimum. Ad certiorē quo
que opinionis noſtræ fidem pertinere uidetur, id quod à
piſcatoribus non ſine miraculo de ſpigolis hodie recita
tur, quos ut hamo hæſerint, ſtatim diſcurrere magno ni-
xu, dilatareq; uulnera referunt, ut hamorum inſidiæ ex-
carnificato ſponte gutture excidant, atq; eo modo in liber
tatem ſe uendicare, id quod diſtincte Plinius ipſe Ariſto
telem ſecutus, commemorat. Ex aduerſo autem conſtat
ſturiones ſolis retibus capi, nunq̃ uero hamis, p̃ſertim
ſi cubito maiores fuerint, eosq; piſcatores referunt mag-
no impetu plagarum ſæpe maculas dilatare & abrumpe
re conſueuiſſe, proptereaq; accidere, ut hamis non capiã
tur, quoniam ſturiones lambendo, ſugendoq; potius, q̃
uorando, inepto ad ęſcam corripiendam ore ipſo ſine cō
trouerſia alantur. Cæterum id me plurimum admonet,
ut lupum ſturionem eſſe non poſſe certiſſime credã, quo
niam & lupi omnium ferme ſcriptorũ teſtimonio, & ſpi
golæ hodie, hamorum lineas dentibus ſerratis abrodere
ſoleant, quod ſturiones ipſos, quum dentibus manifeſte
careant, efficere poſſe nemo ſanus affirmauerit. Extat
quoq; apud Columellam dictum illud Philippi admo-
dum luxurioſum, qui apud hoſpitem Caſſino in oppido
lupum ſibi in cœna appoſitum guſtabundus expuit, ad-
dens, peream, inquit, niſi piſcem putaui, qua ſi uellet in-
nuere, ſolos Tyberinos lupos piſcis nomine dignos eſſe,
cæteros autem lupos inter quiſquilias potius q̃ inter pi-
ſces eſſe reponendos, ex quo ego plane conijcio, illum lu-
pum ſturionē eſſe minime potuiſſe, quando eius tractus
amnes qui ſunt in Caſſinate agro & in Arpinatium fini
bus, ſturiones non ferant. Quiſnam autem fuerit ille lu-
pus M. Philippi palato ingratus, docebimus, quũ de tro-
ctis agetur. Secunda opinio de nomine Sturionis Franci
ſcum

ſcum Philelphum principem habuit, in qua etiam nunc quoſdam è noſtris Tranſpadanis exoletæ admodum eruditionis, eſſe uideo. Is ut erat inter imperitos audax, utpote qui rudi illa tempeſtate Græcarum literarum notitia clarus atque inſignis euaſerat, Sturionem latine eſſe Attilum, pluribus per totam Italiam epiſtolis ſuper ea re ſcriptis diuulgauit, indoctos appellans nõ ſine uerborum contumelia, qui ſecus ac ipſe crederet, de ui eius uocabuli ſentire uoluiſſent: ſed tantum abeſt, ut uerũ nomen inuenerit, ut ipſe dum alios inſcitiæ bonarum literarum arguere contendit, in alium aliquanto grauiorẽ errorem pueriliter ſit lapſus. Scribit enim ſturionẽ nullo modo lupum eſſe, quoniam lupus ſine controuerſia, is hodie ſit piſcis, qui ab omnibus Lucius appellatur, q̃niam lycos græce, lupus ſit, qui poſtmodum immutata litera in lucium, deprauantibus latinis abierit. Exprimitq; Philelphus effigiem illius lucij oblongi piſcis, extenti capitis & oris maxime denticulati, qui furuas per tranſuerſum faſcias habet, dorſum item atrum, & uentrẽ admodum candidum, qui'q; amnibus ac lacubus totius Italiæ maxime ſit familiaris, quaſi præpoperus ſenex non animaduerterit lupum quadrupedem lycum, piſcem uero Labraca à ſuis Græcis appellari. Sed per deos immortales, quæ nam inſania fuerit, lupos tantopere ab omnibus authoribus commendatos, dicere eoſdẽ eſſe, qui uulgo Lucij uocitentur, quum Lucij plebeia potius inter obſonia cenſeantur, quàm Romæ nobilium uſurpentur mẽſis, ita ut nunquàm, niſi in ſumma marinorum penuria, ſicut aliquando accidit piſcatione tempeſtatibus ſublata, in menſam ueniant, & id tum etiam ad honeſtandum potius patinam, ut dicunt, quàm ad conuiuas eo edulio cõciliandos. Dicebat Pogius Lucio, etiam ex Cimino la-

cu, & ei quidem præpingui nullam unquam inesse gratiam, nisi quum solus in maxima conuiuarum inedia prādijs apponeretur. Miror quoque tantæ lectionis hominem apud Ausoniū ea carmina minime lectitasse, quibus Lucius ignobilis piscis alius à Lupo, apud Belgas & Britanos frequēs nominatur, ut proprio capite de lucio mox dicemus. Neque mirū esse debet, si Lucius apud antiquos parum celebratus esse uideatur, quum paucos præter unum Ausonium, authores curiosus etiam lector sit inuenturus, qui de lacuum & fluuiorum piscibus fecerint mentionem, quando lupum inter marinos pisces, qui tamen flumina subeant, ab omnibus adnumerari, lucium uero nunquam intrare maria, uno totius Europæ consensu manifestissime constet. Cæterum Philelphus Sturionē antiquitus fuisse Attilum asserebat, unius Plinij authoritati innixus, qui in nono Naturalis historiæ, quum de Thynnorum magnitudine loqueretur, dicit: Sunt & in quibusdam amnibus haud minores, Sylurus in Nilo, Esos in Rheno, Attilus in Pado inertia pinguescens, ad mille aliquādo libras catenato captus hamo, nec nisi boum iugis extractus. Quibus adductus uerbis, Attilum non posse esse alium à sturione putauit, quum sturiones illos prægrandes, qui in Pado caperentur, piscium eius amnis longe maximos arbitraretur, quod manifeste falsissimum est. Nam Attilus is est, qui à Ferrariensibus Adelus seruato antiquiore uocabulo nuncupatur, piscis inquam ipso sturione amplior, & effigie, sapore, pretio, & tota ferè natura ab eo dissimilis, atque adeo diuersus, ut in prouerbium Ferrariæ uenerit, quum duas inter se res maxime distantes significare uolūt, eas sic differre, ut sturionem ab Attilo dicant, uti nuper nobis etiam confirmauit Ferrariensiū legatio, ab Alfonso Atestino ad Clemen-

mentem Pontificem missa, cuius erant principes Caselli us celeber iurecōsultus, & Antonius Costabilius grādæuus senex, usu rerum & uitæ splendore insignis. Tertia opinio Sturionem apud Plinium Torsionem fuisse affirmat, cuius præcipuum authorem Theodorum Gazam extitisse complures arbitrantur. Eam paucis ante annis acerrime defendebat Longolius Gallus singularis doctrinæ iuuenis, & qui procul dubio summum latinæ eloquentiæ fastigium fuisset adeptus, nisi mors immatura eum in medio optimorum studiorum cursu sustulisset. Adducebatur ea maxime ratione, quod Pliniū uidebat sturionis formam atque naturam in capite de Torsionibus expressisse, quum dicit: Delphinorum similitudinem habent, qui uocantur Torsiones, distant & tristitia quidem aspectus, abest enim illa lasciuia, maxime tamen rostris canicularum maleficentia assimilati, horum enim uerborū testimonio: Sturiones ijdem qui torsiones esse uidebantur, atque ea præsertim coniectura, quod quum minorem quam in delphinis uideamus, cum aspectu ipso, tum natatu lasciuiam præ seferant, etiam fistulam habeant, uti in delphinis conspicitur, quanquàm diuerso modo à natura sit indita. Nam delphini per suam expirant & refrigerantur fistulam, ea autem pro ore sturiones utuntur, quū uti supra diximus, & per nares & paruas branchias aerem pro uitalibus refrigerandis attrahant. Nouitiumque hoc Sturionis nomen, antiquo Torsionis uocabulo primum alludere, ipse Longolius arbitraretur. Quibus adductis argumentis Theodorus Gaza, ut erat in transferendis Græcorum sensibus, Plinianorum uerborum obseruator atque imitator diligentissimus, apud Aristotelem in octauo de historia animaliū, Phocenam Torsionē uerterit, ueluti ab ipso Plinio uo-

cabulum mutuatus. Cæterum si bona cum uenia bonis mortuis licet refragari, nos docebimus Theodorũ Torsionem pro Sturione nequaquam accepisse, uel si acceperit, plurimum errauisse, Pliniũ quoque per Torsionẽ ipsum, quem nũc quærimus, sturionem significare minime uoluisse. Siquidem Gaza quũ Aristotelem latine interpretaretur dicentem in octauo de historijs animaliũ: In põto fera nulla est, prçter delphinũ & phocenam. Pro phocena Tursionem dixit, quem phocenam sciebat ab Aristotele inter uiuiparos pisces esse connumeratũ, quũ Aristoteles alios pisciũ esse ouiparos, alios autem uiuiparos, id est, qui catulos parerent, dixisset. Nemo autem adeo imperitus est, ut nesciat sturiones esse ouiparos, ut ex cotidiano usu deprehenditur, & ex salsamentis Cauiarijs, quæ ex ouis sturionum sine controuersia conficiũtur. Neque enim credendum est, tantæ eruditionis ac diligentię hominem, uti fuit Theodorus, adeo pueriliter fuisse hallucinatũ, præsertim quũ hunc ipsum locũ aliter à Plinio fuisse conuersum animaduerteret, qui pro phocena non torsionem, sed uitulum marinũ substituerit, ut diligenter Hermolaus in castigationibus annotauit. Praeterea apud Aristotelem phocena sturio esse non potest, quum in sexto de natura animalium, ubi eius effigiem exprimit, clarissime dicat, phocenas omnino carere branchijs, sed branchiarum loco fistulam habere, quod sturionibus minime accidit, quoniam præter fistulam oris, uti diximus, branchias manifeste habent, quanquã paruas & angustas, si illas tantæ molis pisci comparemus, ita ut sturio nullo modo phocena esse possit. Subiũgit quoque Aristoteles Phocenam nasci in põto, quod de sturione minime dixisset, quando sturiones omnibus ferè in maribus facile reperiantur, magnamque eorum copiam

piam insignes fluuij alant, siue in mare nostrum, siue in ipsum oceanum euoluantur. Quod uero Plinius Torsionem sturionem esse putauerit, minime crediderim uel hoc uno argumento, quod sturionis & magnitudine & frequentia, & ipso denique pretio admodum celebrati piscis, ab ipso Plinio nullam præterquam hoc uno in loco, mētionem factam esse uideamus, quum uel minimos & in edulijs etiam prædamnatos pisces, non modo in nono peculiari aquatilium libro, sed in alijs obiter locis sæpius nominet atque depingat. Vnde putandū est Plinij torsiones, sicuti Aristoteles asserebat, in ponto Euxino potissimum uersari, nec temere per alia maria, extra Hellesponti, Thracij'ue Bosphori angustias euagari. Porro Plinius, si uerba Aristotelis consyderemus, pro phocena torsionem intellexisse uidetur, qui torsio eodē teste, maleficus est, quoniam canicularum rostris assimilet', & ipsa quoque phocena ab Aristotele ueluti maxime malefica feræ nomine nūcupatur. Sed sturio quomodo maleficus esse possit, non uideo, quum dentibus omnino careat, sic fortasse à natura formatus quoniam piscibus nō alatur. Ridiculum enim esse dicere sturionem in pisces grassari per ipsam tātum lasciuiam. Nam magni pisces alios persequuntur, ut interemptis ueluti proprio pabulo uescantur. Sed ut hanc inueteratam de torsione opinionem penitus conuellamus, paulo post alium à Torsione & quidem sæpius ab ipso Plinio celebratum piscem sturionem esse monstrabimus. Quarta opinio Hermolai Barbari fuit, uiri nobilissimorum studiorum gloria insignis, qui rogatus sententiam in tanta eruditorū dissensione, per epistolam Paulo Cortesio respondit: Sturionem antiquitus Hyccam fuisse, ex testimonio Athenæi hac coniectura adductus, quod Hycca porcum significet

cet, Sturionem autem porcelletam, quum præsertim sit paruus, appellari à nostris magna eius nominis conformitate. Nihil enim melius hactenus inuenerat Hermolaus, utpote qui ingeniosus & prudẽs ineptas iam de lupo, Attilo ac Torsione opiniones repudiarat. Potuit eũ eum mouere Ambrosius, qui in Dominica passione dicit, Gutto siue Gulo Porcellum amat, ut comedat, quasi per porcellum Ambrosius Hyccã expresserit, & in Hexahemero ait, Iudęos marinis porcis uesci, quibus terrestribus non uescantur. Sed hæc coniectura frigida admodum uidetur, quum alius sit in mari porcus piscis, diuersus à sturione, hodieq; plures obæsi pisces, & qui præpingue abdomen habẽt porci à piscatoribus appellentur, sicuti thynnũ à Strabone & à Polybio porcũ appellatum esse uidemus. Cæterum ipse Hermolaus in corollario quod Dioscoridis interpretationibus appendit, Iulidas ait uocatos esse porcos, qui tamen longe diuersissimi sint à sturionibus, Syagrim quoq; piscẽ appellari potuisse à nomine suis. Athenæus quoq;, qui Hyccã authoritate Callimachi, sacrum ueluti ob saporis excellentiam appellari dicit, mentionem de alio pisce intulit, quem hyn, id est, suem uel aprum nuncuparint. Alij etiã Gręcorum porcum marinum Psammatida uel Psammitin cognominatum putant, ut clare appareat Hermolaum, Hyccam sturionem esse, pro constanti in ea epistola affirmare minime debuisse, præsertim quũ in castigationibus Plinianis, & in ipso corollario, de nomine Sturionis plurimũ ambigere uideat. Quẽ mõ Tomũ Thurianũ posse esse dicat à Thurijs oppido Italiæ in Brutiorum ora, ut ipse opinatur dictum, alludente uocabuli similitudine, p̃sertim quũ Athenęus asserat Tomũ Thurianũ in Italia delicatissimũ esse obsonium, modo eũ pu-

tet

tet esse Galeoten uel Xyphiam Strabonis authoritate, modo eũ dictũ fuisse affirmet Scyllam & Lamiã & Carchariam, ad extremũ uero tot nominum diuersitate perplexus fateatur, uel Sturionẽ antiquitus his appellationibus uocitatum esse, uel sic dictum à Thuriano Tomo delicatissimo obsonio, quod tantoperè à Græcis celebretur. Sed illud me præsertim mouet, q̧ nemo authorum, quos legerim, præter unum Athenæum de Hycca pariter & Tomo Thuriano fecerit mentionem, quãdo sturio celebratissimus piscis, ut sæpius dixi, certo claroq̧ nomine fuerit appellandus. Verũ hæc nostra inuenta, quæ ludendo excogitauimus, in bonam partem à lectoribus accipi uelim, atq̧ eo animi cãdore quo scripsimus à doctioribus perpendi. Non enim is sum, qui obtrectationi alienæ laudis eruditior uideri uelim, quum ulla in parte cum his, quos supra redargui, uel ingenio, uel eruditione minime sim conferendus. Igitur in tanta eruditorum altercatione licebit & mihi propriã attulisse opinionem, ita tamen ut cum præfatione prius attester, me tamdiu in ea sententia permansurum, donec aliud, quod magis arriserit, diligentiores inuenerint. Dicamus igitur Sturionem ab antiquis Silurum fuisse appellatum, quem pro Glani Theodorus apud Aristotelem interp̃tatur, sed de hoc, quum plures apud me certiores sint cõiecturæ, hoc uno tamen maxime argumento adducor, ut Sturionẽ opiner esse Silurum, quoniã mirum hercle uideatur, quod hac ætate, quis nam piscium antiquitus Silurus fuerit, penitus ignoremus, qui adeo in mari ac fluuiis testimonio Aristotelis, Plinij, Athenæi, & Ausonij sit celebratus, ex aduerso autẽ de Sturionis antiquo nomine plurimum dubitemus, qui sit omnium ferè totius orbis fluuiorum incola longe notissimus. Neq̧ enim

credendum est, ueteres adeo insulsi fuisse gustus, ut arbitremur eos sturionẽ minime cognouisse, aut silurũ ipsũ ueluti aliquo naturæ defectu, tota eius generis extincta sobole, penitus euanuisse. Silurus authore Plinio atque Ausonio fluuiatilis pariter ac marinus est, & quidẽ prægrandis, sed præcipua magnitudine in Nilo & Gange, ueluti amnium maximis, cæterum carne prædulci, nullis ossibus uel spinis intersitis, rostro itẽ, caudaq́ꝫ delphino simillimus, ita ut cõpellare eos libeat, qui propterea torsionẽ sturionem esse uolebant, ꝙ effigie ac rostro delphinis assimilaretur. Id uero me etiã plurimum mouet, ꝙ in Nilo, Borysthene, atqꝫ Danubio, uti Plinius de Siluris ait, etiam nunc frequentissimos sturiones esse cognoscamus: Nam in omnibus Nili ostijs & superius prope Memphim Aegypti sturionem expiscantur. In Borysthene uero, qui hodie Neper est amnis, Phasiq́ꝫ & in ipso Tanai apud Tanam emporiũ tanta eorum est copia, ut cætariæ ibi institutæ sint officinæ, in quibus ea salsamenta ex sturionum ouis salitis, quæ Cauiaria dicimus, itẽqꝫ ipsa schinalia ex summo sturionis spinali dorso, sale, fumoq́ꝫ inueterata conficiantur. In Danubio autẽ adeo frequentes sunt, & magni, ut ex eo minores etiam amnes subeant, qui in ipsum influunt, sicuti Drauam, Sauum, & Tybiscum, & ut mirum non sit eos etiã Menim amnem subire, sicuti Plinius ait, propter Lisbouũ, in quo Siluri, ut in Danubio, innatantes equos deprimant. Menim autem cum Hermolao eum amnem esse putauerim, qui alio nomine dicitur Oenus, is Sueuorum gentem è Vindelicia ab austris, qui Norici sunt, diuidit, Danubioq́ꝫ miscetur, ita ut ab Istro Istrionem piscem hũc esse dictum putem, quo in amne sit insignis, ut hodie uidemus & Athenæo placet, qui silurum Istrianum siue Danubianum

anum honoris atque excellentiæ caussa ubique nominauit. Sed audiamus Ausonium de Siluro in Mosella canentem, qui ignobiles etiam Tincas minime præteriit:

Nunc pecus æquoreum celebrabere magne Silure
Quem uelut actæo perductum tergora oliuo
Anniculam delphina reor, sic per freta magnum
Laberis, & longi uix corporis agmina soluis,
Aut breuibus defensa uadis, aut fluminis uluis,
Aut quum tranquillos moliris in amne meatus
Te uirides ripæ, te cærula turba natantum,
Te liquidæ mirantur aquæ, diffunditur alueo
Aestus, & extremi procurrunt margine fluctus
Talis atlantico quondam balæna profundo.

Quid enim certius notari, exprimi'ue potuit his uersibus quam pro sturione silurus? qui & magnus & fluuiatilis pariter ac marinus, & delphino similis, ac ipso tergore uerum olei colorem referre uideatur. Conueniunt profecto hæc omnia sturioni, & quidem ad amussim, ita ut necesse sit eos qui id negauerint, & afferre aliquem magnum piscem ex his fluminibus pro siluro, qui sit a sturione diuersus, & alium ostendere apud Ausonium, per quem Poeta sturionẽ uoluerit demonstrare. Non enim credibile est, eum qui minimos quosque fluuiatiles ꝓpria nomenclatura persecutus est, ipsum sturionem procul dubio uel sua magnitudine uel dignitate anniculаrum regem adeo somniculose præterijsse. Illud quoque opinioni nostræ aliqua ex parte suffragatur, quod in Canariæ insulæ amnibus (ea ad Atlanticum uergit oceanũ) multi ac optimi stturiones piscatione capiantur, uti Hispani, Lusitanique referunt, qui dum nouas incogniti orbis terras inusitata ac admirabili nauigatiõe ꝑ immensũ

oceanum quærunt, Fortunatis insulis aquationis gratia quotidie applicant. Cuius Canariæ amnes ipse Plinius Siluris abundare commemorat, neq; mirum est, quũ is piscis omnium magnorum amnium sit familiaris, uti in Thamesi Britaniæ, alijsq; amnibus qui in oceanum erumpunt, manifeste conspicimus. Hispania autem omnis Sturionem, Sulium appellat, ita ut parum ea uox à Siluro qui item & Sulius dicitur, abesse uideatur. Quando, ut ante dictum est, una terrarũ Hispania ueterẽ Romanæ linguæ sonum, atq; ipsa uocabula non sine rubore dediscentis Italiæ retinuerit. Quomodo autem Siluri in Sturiones abierint, nuper docuit, & quidem, ut arbitror, fœlicissime inuenit Michael Syluius apud Clemẽtem Pontificem Lusitaniæ regis legatus, qui uti est optimarum literarum atq; omnis antiquitatis scientissimus testatur Sulios longe optimos, omnium confessione in Asturia reperiri, unde Asturiones dicti sint, ueluti ab regione nobilissimos producente nouum cognomentũ, uetere repudiato nomine retulisse uideatur. Diuus quoq; Ambrosius opinioni huic nostræ astipulatur, quum dicit: Silurus de aliorum piscium uermibus uiuit. Sturiones namq; uti diximus, grandiusculos pisces deuorare nequeunt, quum ore sub rostro à natura constituto, non facile nisi minutissimos corripiant, & propterea solis suctionibus nutriantur, ut etiam Albertus Magnus asserit, apparetq; hodie in his euisceratis, in quorum uentriculo, qui perangustus est, nunq; deuorati pisces reperiãtur. Subdit tamen Ambrosius, inutilis sæpe præda piscantium, ut uideatur in ædulijs Silurum minime commendare, sed ego, in, syllabam temere à librarijs additã putauerim, siquidem Silurus apud Athenæum dicitur sapidissimus, quum enim Latum piscem Siculo in mari

fre-

frequentem uellet laudare, a carnis candore suauitateque eum Danubiano Siluro comparauit. Neque illud Plinij parum conuenire Sturioni autumauerim, quum dicit: Silurus carne prædulci, nullis ossibus spinis'ue interlitis, quum sturionem habere ossa manifeste appareat. Existimo enim Plinium intelligere uoluisse Silurum una tantum perpetua, qua traijcitur, spina esse contentum, nullasque subinde spinas (uti in alijs accidit) a spondylis oriri, qui bus tota caro, corporisque ambitus ueluti costis sepiatur, delicatæque illæ pulpæ multo cum fastidio tum periculo comedentium contineantur. Cęterum, uti ego arbitror Sturiones non eo in pretio fuere antiquoribus, ut nostris temporibus uidemus, siue quod eius caro per se dura, & multo mucore pinguedinis repleta, celeriter sui desyderium primis mensæ congressibus auferat, siue quod pergrauis ac molesta tenuioribus stomachis esse deprehendatur. Videtur & nonnullis Iuuenalem, uilem omnino piscem silurum annotasse quum dixit: Vendere municipes fracta de merce Siluros, sed uenditorem potius uilem quam mercem ipsam, hoc est, Crispinum ab Aegypto, Iuuenalem innuisse crediderim, qui Siluros fractos, id est, membratim cæsos, uti hodie uidemus, aliquando in humiliore fortuna uenditarit. Quo in loco Iuuenalis, Georgius Merula oculatissimus grammaticus, Siluros non esse multum absimiles a sturionibus arbitratur, utpote qui iam animaduerterat illos qui Lupum, Attilum'ue, Torsionemque & Hyccam, Sturionem dicerent, a ueritate plurimum errauisse. Quantum autem pertinet ad piscis naturam, dicimus eum tarde concoqui, & propterea ex eius excretionibus multam generari pituitam. Vitium eius carnis aliqua ex parte tolleretur, si in tabellas pollicis digiti crassitudine secaretur, torreretur que in craticula, & quidem ex præ

cepto Galeni, oleo, sale, acetoq́ leni, atq; iterata aspergi ne inditis, sed qui palato potius q̃ stomacho studere ui- dentur, elixum eum cum leucophago passim comedũt. Is quum toto ferè capiatur anni circuitu, æstate tamẽ ad ulta longe probatissimus æstimatur. Siluri felle cũ Attico melle permisto suffusos boum oculos ueteres inungebant, ut Aetius affirmat, qui medicæ artis præcepta græco sermone conscripsit. Sed id potius ex eius humoris acredine, q̃ ab occultiore Siluri piscis proprietate prouenire putauerim, quum etiam ex felle quadrupedũ ac uolucrum & inter alias perdicum, ægris hominum oculis nota collyria inijcere soleamus.

De Vmbrina Caput V.

SEcundum siluros sciena è grandibus primam saporis obtinet claritatẽ. Eam M. Varro & Columella Vmbram appellant, quam & Ennius quoq; celebrauit, ut ex Apuleio deprehenditur dum ait: Melanurum, Turdũ, Merulamq́ Vmbramq́ marinam. Hæc tota latioribus squamis integitur, denticulata est, & Aristotelis, Plinijq́ authoritate in capite lapidem habere consueuit, agilis est & plurimum uorax. Propterea Ausonius ait, celer Vmbra natatu capitur cum siluris frequẽter circa ostia fluuiorum & in alto etiam, quod siluris non contingit, ipsa quoq; diebus canicularibus pinguescit, pariq́ ferè p̃tio cum siluris æstatis tempore uenundatur, eam hodie Romani Vmbrinam uocant. Capita Vmbrarum, sicuti & silurorum Triumuiris rei Romanæ conseruatoribus dono dantur, qui piscatores inueterata quadam consuetudine eorum capitum tributi nomine uectigales fecerunt. Capiti enim summa inest gratia, authoritate etiam Archestrati, qui in parandis obsonijs, quod eorum ingeniosissimus esset artifex, Dędalus à Græcis appellabatur

Is Vmbrini capitis nobilem quandam condituram ut apud Athenæum uidere est, multis carminibus expressit, propterea hodie etiam, quum pretio parari non possint, gulosi ea capita quàm auidissime cõsectantur. Extat adhuc in ore quorundam facetorum ridenda fabula de T. Tamisio, q Romanis aulicisque salibus erat insignis, sed gulæ adeo prostitutæ, ut infamis haberetur. Is quum per seruum, qui in foro piscario in eam curam intentus excubare solebat, ingentis Vmbræ caput Triumuiris delatũ esse cognouisset, in Capitolium protinus ascendit, ut simulato apud magistratum negotio, sermoneque de industria protracto, prandium captaret. Verum illud Triũuiri iam Riario Cardinali donandũ decreuerant, ita Tamisius quũ limine curiæ efferri ingenti coronataque patina caput illud nobile conspexisset, primò deceptus consilio, illud subsecutus est præmisso seruo, qui uestigijs deferẽtium ministrorum insisteret. Nec multo post quum Riarianis ædibus inferretur, bene habet, salua res est, inquit Tamisius, opipare excipiemur: erat enim in primis mensæ Riarianæ, quę longe omnium semper lautissima fuit, familiaris. At Riarius, ut erat natura munificus, maximum, inquit, hoc Triumuirale caput maximo debetur Cardinali, statimque Federico Sanseuerino proceritatis admirandæ Cardinali transmittitur, colligit extemplo togam Tamisius, Riarium intempestiuæ munificentiæ incusans, in mulamque resilit, & munus ad Sanseuerianam domum consequitur. Idẽ pari liberalitate facit Federicus, caput'que ipsum splendidis exornatum uerbis, aurataque illatum patina Chisio publicano ditissimo deferri iubet, quòd ei multo ære alieno, grauibusque usuris obstrictus erat. Volitat tertia iam spe auidã frustratus gulam æstuans Tamisius, festinabundusque incalescẽte iam

die

dis in transtyberinos hortos quos ipse Chisius magnificentissimos extruebat, contendit. Ibiq; fessus admodum & multo sudore madidus, q; grauis sit abdominis, quarto à fortuna decipitur, quippe qui Chisium caput illud recentibus floribus redimitum adamato scorto, cui ab forma eruditis q; illecebris Imperiæ cognomen fuit, ut extemplo deferretur curantem reperit. Flectit itaq; indignabundus habenas retro, nec tamen subiratus gulæ, quæ herculeos labores attulerat, & ad Imperiam iã multo sole Sixtini Pontis semitam exurente adequitat. Ad extremum anhelantis gulæ ea uis atq; libido fuit, ut qui per totam urbem fuerat raptatus, idem & togatus & senex cum scorto admirante noui hominis aduẽtum, nullo pudore discubuerit, sic ut mirari desinamus Apitiũ, qui ut ait Athenæus, cum Linterni Astacos cancros piscaretur, audisset q; lõge maximos & nobilissimos in litore Aphrico reperiri, eo propere stimulante gula, insigni nauigio delatus est. Statim q; prius q; in terram descenderet, occurrentibus ibi piscatoribus cum Astacis, quod famæ expectationi q; minime respondissent, protinus conuersis uelis, nec salutata quidem Aphrica in Italiam ad grandiores Astacos sit reuersus. Cæterum eadẽ prope Vmbrinæ ac Siluro carnium conditio, utræ que enim, ut diximus, non mediocre imbecillioribus stomachis negotium facere consueuerunt.

De Thynno. Caput VI.

THynni multitudine sua omnibus litoribus sunt noti, gregatim uagantur, ob id in Euripis maxima eorum est captura. Irrumpunt Maio mense in mare nostrũ ab Atlantico oceano cogentibus Xyphijs, hoc est, Spathis piscibus, qui telo à rostris prominente instructi, eos toto mari persequuntur. Simplicissimi sunt pisciũ, pro-

pterea

pterea uel inanibus terriculamẽtis acti facile uadis atq;
litoribus intruduntur, eo modo Gaditanus populus infinitam eorum multitudinẽ magno quæstu solenni que
spectaculo retibus extrahit. Saturantur inde captorum
recentibus pulpis circumfusæ gẽtes, reliqua illorũ mul
titudo cetarijs infertur, saliturq;, asseruati uero mẽbratim cadis celebri mercimonio per omnem ferè Europã
diffunduntur. Verum solo abdomine ualent, quæ pars à
Romanis Tarẽtellum dicitur, quod etiam Tarentino in
sinu, ubi opima piscium omnium captura est, Thynni sale asseruentur, reliquæ corporis partes, utpote quæ pingui succo admodum careant, in ignobilis populi usum
ueniunt, quæ Melandrya à Plinio nuncupãtur. Primus
ab ipso statim ouo Thynnorum fœtus Cordylla dicitur
qui mox in Limarias euadit, ex Limarijs autẽ adolescen
tibus Pelamides fiunt, sic à Luto dictæ, quas nunc etiam
Palamias uocamus, quum uero pelamides pedalem excessere magnitudinẽ, in Thynnos abeunt, porro ex thyn
nis, ut Athenæo placet authoritate Sostrati, quũ in sum
mum excreuerint, Orcyni infesti cæteris piscibus efficiũ
tur. Adeo enim Thynni augentur, ut Plinij testimonio,
caudæ eorum latitudinis duorum cubitorum reperiantur, qui postea quindecim talentis pependerint. Sed huic opinioni aduersari uidetur Aristoteles, quum asseueret Thynnos biennio uitam finire, idq; esse compertum
uerisimili admodum ratione, quoniam certo anno cum
piscatoribus Limariæ defecissent, Thynni etiã sequenti
anno defecerunt, ueluti omnibus fermè captis Limarijs
nullæ reliquæ superfuerint, quæ in Thynnos adolescere
potuerint, ita ut credam Thynnos biennij ætate excedẽtes alijs nominibus appellari, ut Orcynus & Pompilus
nauigiorum comes, quẽ de genere Thynnorum esse Pli-

nius arbitratur. Circa ortum caniculæ Oestrum patiun tur, parua animante sub pinnis aculeum insigente, quo dolore incitati, nauigia plærunque transuolant. Idem accidit Xyphijs, quos modo nominaui. Capiũtur ij circa Zephyrium quod extremum est Italiæ promontoriũ Spartiuentum à nautis hodie nuncupatum. Retulit Ioannes Marius Cataneus Nouariensis multarũ literarum notitia insignis, qui Locrensi in litore Xyphiorum piscationi interfuit, eos tanta esse ingenij docilitate, ut græcanicum sermonem, quo ille magnæ Græciæ tractus utitur, ab Italico distinguere uideantur, idque admirandis argumentis deprehendi, quum græcas uoces minime reformident, ad Italicarum uero sonũ repente diffugiant, qđ complures Brutij testati sunt. Ii in oceano Indico, in tantam augẽtur magnitudinem, ut ualidissimis rostris Lusitanarum nauium latera ad sesquipalmum aliquando perforarint. Xyphij bonitate & pretio Siluris ferme sũt æquales, uerũ hæc litora raro adeunt, ueluti qui perpetuis maris æstibus, ut in freto accidit Siculo, gaudere uideãtur: propterea Xyphij forma, ut in alijs fiet piscibus pictura nõ exprimetur, quod eum uidere hactenus mihi nõ cõtigerit. Sed Thynni pariter ac Xyphij, quũ Oestrum patiuntur, ueluti noxij damnantur mensis. Cęterũ thynni eximie pinguescunt, adeo ut porci iure ipso nuncupẽtur, cũ etiam, ut Polybius tradit, in profundis litoribus, ut porci solent, glandibus uescantur. Thynni recẽti pulpa iuxta uẽtrem, ipsoque pingui sumine, sicuti palato grati, ita stomachis languidioribus, quibus nauseã pariunt, ualde inimici: circa uero dorsum & caudam contraria ratione, quemadmodum ab nimia ariditate parum delectant, ita superfluo nudati humore minus officiunt. Falconius Etruscus plebeius ganeo, sed eruditioris gulæ,

quum in Hispania cetarijs præesset, nouũ ac sapidissimũ obsonij genus e Thynnorum uentre cõmentus est, circũ ciso abdomine umbilicos enucleando, & sale, acetoque & feniculo inclusos cadulis condiendo, ita ut mox id ci-barij genus pleriq; appeterent, ac propter iucunditatẽ mirarentur, quem modo ut inutilem ex officinis euerre re consueuissent. Sed in uniuersum saliti Thynni, sicuti uim alleuandi intermortui gustus mirificam habent, ita multa bile aggenerata, sanguinem incendere, iecinora-q; adurere consueuerunt. Recentes pulpæ rectissime co quuntur in uino corsicano & oleo, pipere etiam cum ce pis minutatim cæsis superaddito, quod genus condimẽ ti Azeminum Ligures uocant. Pelamides autem mul-tum nutriunt & urinam cient, sed tarde coquũtur autho re Athenæo, qui tamen eas salitas stomachis cõferre te-statur. At Thynnorum iecinoribus mira proprietas in esse traditur ad prohibẽdam puerorum lanuginem, im-probo quidem Mangonum inuẽto, qui quum mares ca strare dirum atq; crudele nimis ducerent, ipsa tamen ui-rilitatis initia retardare, ueluti proposita pleniore libi-dine contendebant.

De Lechia. Caput VII.

EST & alius generosus piscis magnitudine atq; colore medius inter Thynnũ & Vmbrã, quẽ Ro. pariter & Ligures Lechiã appellant. Eã aliq Centrinã antiquitus fuisse arbitrãtur, qñiam pugnacissima sit, & atris solidio ribusq; aculeis, quanq; nõ omnino lõgis circa dorsum ar mata, ut Oppianus de Cẽtrina expsserit. At Lechia co-rio integit minime squameo, sicuti in thynnis uidemus, sed leui & splendido, quod argenteum est, & cœruleo colore perfusum, caudæ uero pinna crescentis lunæ fi-guram efficit, concaua illa rotunditate ad circini du-ctum effigiata. Eius etiam generis, quæ latiorem ha-

bet uentrem, uulgo piscatores Lopidam & alium Lopida aliquanto minorē Stellam appellant. Ego Lechiā antiquitus fuisse Amiam putauerim, quā Plinius cū Thynnis exire Pontum asserit, nam tota specie maxime Thynnis cognata esse uidet̃, & Oppianus audaces Amias appellat, quas comparat Thynnis, & inire prælia cum delphinis dicit. Aristoteles quoq; Amias carniuoras esse, & serratos habere dentes, branchiasq; contectas, testat̃, quæ branchiæ adeo patulæ mihi minime uidintur in Lechia, uti in alijs, ueluti Vmbris & Lupis & Coracinis cō spicimus. Sed ut de hoc nihil certi proferam uerba Oppiani me mouent, qui dicit Amias hirudinum more delphinorum exsugere sanguinē, quod Lechijs attribui iure non potest, quū & in tripedalem crescant magnitudinem, & peracutis dentibus, solidisq; aculeis sint instructæ, quibus armis non sugendo, sed pugnando per uulnera & cædem de delphino uictoriam consequatur. Verum hoc de minoribus fortasse Amijs dixisse Oppianū aliquis existimabit. Illud quoq; Aristotelis de Amijs parum Lechijs conuenire uidetur, ait enim propterea amias sic dictas, q; gregatim uagentur, Lechias autem solitarias sæpius capi manifestū est, quod raro accideret, si turmatim uti Thynni, & plæriq; alij pisces per altum & litora deferrentur. Cęterum ut Amiam hodie Lechiā esse credamus, etiam id argumento esse potest, q; Amiæ & p̄ tenera & gustui suauissima carne à Græcis authoribus esse traduntur, nam uti citat Athenæus, & Epicharmi, q de Sirenibus scripsit, & Archippi antiquissimi poetę carmina extant, quibus Amiæ ab ipsa gratiore pinguedine magnopere commendantur. ipse quoq; Archestratus, qui uniuersam terram, cunctaq; maria peragrasse uisus est, ut gulæ delitias, singula ubiq; ædulia explorando, gu

stando q̃ diligenter exquireret. Amiam ueluti nobilissimum piscẽ in nuptijs Hebes celebrauit, docuitq́ solenni præcepto eam fœlicissime coqui, si cõspersa origano, & inuoluta iunco, cucurbitæq́ folijs ad prohibendũ succi delicatioris effluuium mitioribus flammis torreret. Modo autem constat Lechiam laudatissimo sumine & sapore præpinguium pulparũ esse pretiosam, cuius capita, sturionum, umbrinarumq́ capitibus Romæ omnium iudicio præferuntur. Probatissima autem in Ligustinis litoribus capit. Ottobonus Fliscus genere ac hospitalitate illustris, quum Genuæ essem, festiuo matronarum conuiuio tricubitalẽ nobis apposuit Lechiã, quę non modo Romanorum sed & Pelagiorum piscium omniũ laudes magno interuallo superauit, ita ut aliq sub tilioris gulæ homines pulparũ suauitate allecti semæsa ex Lechijs obsonia in contumeliam auium atq́ quadrupedum, in alterum diem reponi sibi plærunq́ præcipiant. Quo fit ut Lechiam proculdubio fuisse amiam fateamur, quũ nullum qui insigni sapore præstet, piscẽ sine certo Latino nomine simus relicturi, & nullus ab ipsa lechia piscis hodie nobis occurrat quẽ Amiæ nomine appellare audeamus. Neq́ enim mihi persuaderi potest, ut eam in illorum sententiam, qui Lechiã eum esse piscẽ credunt, quem pro sturione Hyccam putauit Hermolaus, eo leui argumento, q̃ Hycca præposito articulo, sicuti nunc Italiæ ueterem elocutionem amittentis mos est, in Lechiã abijsse uideatur. Porro Icesius in libro de materia, Amias ab optimo succo teneritudineq́ commendauit, aitq́ non multa cum difficultate in uentriculis secerni, sed non multum omnino præbere nutrimentum.

De Coruo. Caput VIII.

Coruum eundem esse & Coracinum Theodorus Ga

za existimare uidetur, ueluti à Coruo Coruulus, siue coracinus descendat, cui Hermolaus & Volaterranus refragantur, quoniam authoritate Athenæi Coracinus à uerbo græco, quod genas oculosq; frequenter mouere significat, non autem à coruo, qui græce sit Corax, dictũ existiment. Ego autem secus ac Volterranus putat, Coruum genere ipso à coracino minime differre arbitror, ea maxime ratione, quod de Coruo nullam ferè à probatis scriptoribus mentionem fieri constet, authoritate uero omniũ antiquorũ Coracinus sit & latus piscis & subniger & squamosus, quæ differentiæ ei, quem nos hodie Coruum appellamus, manifeste consentiunt: nam Coruus gibberosus est, & proportione cæterorum squamosorũ admodum latus uidetur, uti accidit coracinis, quos Parmenio Rhodius, qui scripsit de re coquinaria, ut allegat Athenæus, Platistaticos à latitudine corporis appellauit. Nigricantes quoq; in Coruis pinnas conspicimus, quas Aristophanes in lib. de palustribus, coracinis attribuit. Sunt enim Pelagij & fluuiatiles coracini. Verũ hęc nostra flumina nullos aut certe rarissimos ferunt, in Nilo tamen Plinio Martialeq; authoribus, & in amne Bethi ulterioris Hispaniæ reperiũtur, Gadibus uero & circa fretum Herculeum laudatissimi simul ac maximi, pares Niloticis capiuntur, quos Zeos, & item Fabros à colore atræ fuliginis appellabant. Coracinus ex his est piscibus, qui commode atq; fœliciter saliũtur, sicuti Galenus in libro de alimentis refert, eum salitum Eutidemus apud Athenęum, qui de salsamentis scripsit, Sarpedam uocari affirmat. Ita ut Persius idem intellexisse uideatur cum dicit: Sarpedamq; aduehe ponto.

Nos uero cum æstate frequentius quàm hyeme, ut Plinius author est, eum capiamus, feruẽti oleo ad mediam

co-

cocturam mergere, & extractum protinus sale acetoq; in sportulis myrti folijs certo ordine substratis reponere solemus, qua industria aduersus omnem caloris contumeliā per hebdomadas asseruatur. Coracinus & præsertim Niloticus prædulces habet carnes, quem uero proximis litoribus expiscamur, tripedalem ad summā non excedit magnitudinem, sed carne & aridiuscula, & ob id ab his qui gulæ delitiosius student, parum laudata. Athenæus elixo tostum meliorem esse testatur, nos uero contraria consuetudine, quum recentes & grādes nanciscimur, æneis excoqmus cacabis simplici in aqua, extractumq; uirentibus petroselini folijs coronamus, sicuti etiam fit in Vmbrinis, quas & sapore & squamarum latitudine plurimum referunt. Neq; id inepta ratione, nam duriores eorum pulpæ omnem penitus saporis gratiam amitterent, nisi aliquo iuris lenocinio ab innata illa duritie mollirentur. Cæterum quanquàm concoctu sunt difficiles paralyticis tamen mire conferunt, ut author est ille Plinius qui de Medicina librū conscripsit. In coracini capite lapillus inuenitur, quem puerorum collo pro amuletis suspensum regio morbo aduersari, ignobiles quidam authores tradiderunt.

De Spigola siue Lupo. Caput IX.

LVpum antiquitus fuisse, quem Romani Spigolam, Varollum Veneti, Etrusci Araneum, Hispani Lupum, Ligures uero Lupacium appellant, in capite de Siluro diffuse monstrauimus. Solertissimus piscium habetur, idem & delicatissimus, præsertim è Tyberi, & inter duos pontes, quod aquæ subiecti fluminis ab multis cloacarum effusionibus pinguiorem æscam subeuntibus præbeant. Lupus hamo captus,

uulnera cõtempto dolore fortiſſime laxat, & excuſſo hamo protinus refugit: incluſus uero retibus imis in uadis ſulcum crebro motu caudæ reiectis harenis facit, atq; ita ſubterlabitur, ut Oppianus author eſt, & hodie piſcatores, maioribus etiam miraculis additis, uno conſenſu fatentur. Propterea ab ipſa uehementia à Grçcis Labrax appellatur. Parit bis in anno Lupus, ut Ariſtoteli placet. Summa ineſt ſaporis gratia hyeme captis, & Ianuario præſertim menſe, tunc enim & teneritudine, uti diuus ait Ambroſius, & mollitie, candoreq;, ut Plinius aſſeuerat, maxime commendantur. Luporum aliqui ſunt lanati uel lanei à candore, ut Plinio Martialiq; uidetur, aliqui uarij, ut Columellæ placet, qui in piſcinis, ait, includi poſſe Lupos ſine macula, quos ſecernit ab his qui uarij ſunt, ita ut proculdubio credam uarios maiores apud Ambroſium eſſe de genere Luporum, quos & Troctas appellat. Troctam enim eſſe Lupini generis apparet, ut aſpectu, mutuaq; naturç collatione perſpicitur, ut latius in capite proprio de Trocta diſſeremus. Cæterũ luporum carnes in ratione ualetudinis à Galeno mirifice laudantur, q; ſubtiliorem generent ſanguinem, & perdicis carnibus æquiperentur. Athenæus autẽ Lupos ait boni eſſe ſucci, & non multi nutrimenti, quorum tamẽ ſuperfluitates non facile ſecernãtur, ſed Cornelius Celſus Lupos ſicuti & mulos leuioris eſſe alimenti teſtatus eſt.

De Cephalo. Caput X.

MVgiles Græco nomine Cephalos Romani uocãt, qui in plura genera partiuntur. Aliqui enim à capitis amplitudine Capitones, aliqui à prominulis inferioribus labris Labeones, qui hçc cognomenta Romanis familijs indiderunt, alij itẽ Ceſtres, alij Bachi, alij demũ Myxini & chelones & Leuchiſti & Mucones appellantur.

tur. Capitones mense Decembri grauescere ait Aristoteles, qui id genus pisciũ & in mari & in stagnis & in fluminibus gigni, ut uidemus, asseuerat. In uniuersum mugiles sunt uelocitate admirabili, ut sagittæ arcu emissæ, quum lasciuiunt, uel retia saltu transuolant, esse uideantur, e mari aliquando amnes, & ex fluuijs ipsa maria ingrediũtur. Animal est minime maleficum, utpote quod alga tantum ac herbis, atq; his quæ in profundo uado ac ripis sunt, quisquilijs nutriatur, propterea cæteri pisces qui minime in alios grassari solent, mugilem, ut sanctũ ac optimum in honore habent & uenerantur. Probat eos Galenus, qui marinis fluctibus exercentur, eos uero, qui in stagnis & fluminibus urbiũ sordes & sterquilinia alluentibus maxime detestabiles asseuerat, q꞉ ex eo alimento admodũ feculento uitium contrahãt. Dorionis quoq; authoritate marini fluuialibus præponuntur, sed ij præsertim sunt pessimi, qui sua sponte in stagnis atque paludibus ex limo nasci dicuntur, ut sunt qui in Etruria ex Prillino lacu apud Orbatellum ad mediterranea deferuntur, ita ut & illos etiam uituperare liceat, quos Padusæ atq; ipsi lutulenti Fossæ Clodiæ canales, uiscere p̃ tenero Ferrariensibus & Venetis copiosissime prębẽt. Icestus gręcus author Athenęo perq; familiaris, idem & coquus & medicus, Cephalos & gustui gratos & laudabilis succi esse asserit. Galen. uero eos tardissime & multo quidem uentriculi cum labore digeri atq; secerni pręcdicat, præcipitq; in eorum conditura debere addi herbã Origanum, cuius uirtute facilior excursus ad uentrẽ inferiorem fieri uideatur, eos tamen salitos minus noxios esse testatus est. Nos uero Cephalos omnes plenius eos in cœna comedẽtibus dolorem capitis, quem morbum medici recentiores Cephaleam dicunt, post paucas ho-

ras inducere sæpe deprehendimus, maxime si ad lautio res cœnas stomachi tenuiores accesserint.

De Aurata. Caput XI.

VEteres nõ modo Auratam piscem in honore habuerunt, sed & Sergij Romani patritij luxuriosa eius piscis æstimatione perpetuum familiæ cognomentum fecere: siquidem à mari, Auratarum, aliorumq́ pelagiorum pisciũ semina atq; uiuaria in mediterraneos lacus deferebant, ut in obsequium popinarum tralata maria uiderentur, quæ præciosa edulia dulcioribus denegata undis improbo opulentiorum studio, cotidianis cœnis copiose suggererẽt: sic Auratas, Lupos et Murenas suburbani lacus, Sabatinus, & Ciminus, & multo remotiores Vulsinensis & Velinus aliquando procrearunt, quę seminaria degeuerante sobole, quum externi pisces parum fœliciter alienis in sedibus prouenirent, paulatim interiere. Ex Auratis quæ toto passim mari mira fœcunditate progignuntur, Tarentinam antiquiores prætulerunt, sed eam maxime quæ illata Lucrinis stagnis cõcharum æsu pinguesceret, ut ait Martialis illo in carmine:

Non omnis laudem pretiumq́ Aurata meretur,
Sed cui solus erit Concha Lucrina cibus. Nonnulli optimorum studiorũ laude insignes existimant inter Auratas scarũ illum antiquis pretiosissimum piscem à piscatoribus uendi, qui dentes humanis similes, & ad ruminandas maris herbas plurimum idoneos habeat, maximeq́ squamarum specie Auratis assimiletur, cęterum ego crediderim eum non facile à nobis deprehendi errore uendentium, qui similitudine decepti, neq; animaduersa saporis nobilitate in foro piscario eum Auratis & Sargis commiscere consueuerint, consensu tamen piscatorum Zaphirus piscis, sic à cyaneo eius gemmæ colore dictus

in-

inter Auratas longe sapidissimus existimatur, qui forstasse scarus antiquis fuerit. Porrò Auratæ æstate raro, hyeme autem frequentissime capiuntur, quæ tum laudatiores existunt. Ipsæ inter cæteros pisces peculiari quadam dote singularē & saporis simul & salubritatis gratiam obtinent, authore Cornelio Celso, qui eas in ratione ægrorum alendorum leuioris nutrimenti existimauit. Recte coquentur si ex præcepto Galeni, eas in craticula subditis mitioribus prunis, oleo & sale, acetoq; consperseris.

De Dentice. Caput XII.

SYnodontes pisces Latini Dentices uocant, proximos Auratis & Pagris: habent enim prominulos dentes, & sunt lati, subrubraq; uarietate conspicui: appellatur & hic Sinodus à Græcis, alio nomine Chorax, id est, ualatus, uti est perpetua extantium dentium serie septus. Athenæus eum in fretis longe optimū esse ait, qui & salubrior est Galeno authore, quum in uniuersum meliores euadant, quos plurima iactatione, inquieta æstuosaq; maria fatigarint: eum Actius Syncerus Neapolitanus huius ætatis poeta nobilissimus in lusibus piscatorijs celebrauit quum dicit: Dat Rhombos Sinuessa, Dicarchi litora Pagros, Herculeæ Mulum rupes, Synodōtas Amalphis. Synodum Latini ueteres pariter ac neotericiuulgo Denticem appellāt, probantq; eum ex Illyrico Dalmatiæq; litoribus, & præsertim ex Salona atq; Tragurio, quæ gentes concisum in frusta, & semicoctū multo croceo & perspicuo gelu condiunt, cadisq; includūt, ita ut toto fermè anno per omnē Italiā, & Romę idē aduectitius & recentissimus habeatur. Id genus aūt obsonij Medici magnopere detestantur, & ante alios Petrus Aponensis, qui rudi illa tēpestate diuini cōciliatoris cognomentū in ea optimarū literarū strage ꝑmeruit

Is enim pisces semel coctos asseruatosq́, & præsertim uasorum conclusos operculis mortiferam qualitatẽ adquirere, mandentesq́ certo plerumq́ ueneno inficere, ratione atq́ experimento deprehendisse affirmauit.

De Fragolino Caput XIII.

AVratas sequuntur Pagri, siue Phagri, Fragolini uulgo dicti, ex his qui assantur piscibus longe probatissimi: sunt enim & gustui gratiores, & stomacho nequaquàm molesti, utpote qui rationabiliter febricitantibus ipsis conceduntur: nã præter id quod de omnibus saxatilibus Auicenna intellexit, Pagri nullam uiscosi lentiq́ humoris exuberantiam habent, qui etiam ipso iure conceduntur, quoniam quum uniuersum piscium genus frigidæ atq́ humidæ sit naturæ, humida frigidaq́ cibaria febricitantibus Hippocratis authoritate debentur, ut aliquando mirer quosdam scrupulosiores medicos, quũ febris adsit, totum prope piscium genus prædamnare. Phagros Romani & magna pars Tyrrheni litoris accolarum Fragolinos, Veneti Albores, ipsi uero Ligures, antiquo seruato nomine Pagros appellant, quos, quum sesquipalmi magnitudinem excesserint, in Dentices siue Sinodontas euadere communis piscatorum consensus existimauit. Ii pisces à colore ipso (apparẽt enim rubro uino madefacti) Erythrinis & Iecinoribus piscibus assimilantur authore Pseusippo ut ait Atheneus. Cuius testimonio manifeste reprehenduntur, qui Fragolinos Oppiano atq́ Aristoteli Erythrinos esse putant, q̃s Theodorus Gaza latine Rubeculas interpretatus est, quum ibi Athenæus Phagros Erythrinis cõparet, qui sint genere diuersi, sed in ipso colore conueniant. Verũ id me plurimum mouet, ut ab illorum opinione recedã, q̀ Aristoteles & Plinius Erythrinos uel Rubeculas grauidas

& plenas ouis, toto anni tempore capi asserant, quum in eo genere mares non sint, quod Fragolinis minime accidit, qui passim pluribus anni mensibus sine ullo ouorũ uestigio comedũtur. Illud quoq; accesserit ad confirmãdam opinionem, nam dum grato palato Fragolinorum capita exugimus, plerumq; tenuior lapillus dẽtibus importunus occurrit, sicuti Aristoteles & Plinius eorum capitibus inesse testantur. Videmus etiam eorum corda triquetræ figuræ similia, ut antiqui prodidere. Pagri ex sententia Icesij, uere ipso, Archestrati autem, exortu Caniculæ sunt præstantiores, nos autem hyeme eos longe sapidissimos experimur, sed ad summam saporis gratiam accersendam, ganeonum iudicio tres omnino conditiones requirere dicuntur, scilicet ut sint, & recentes, & frixi, & frigidi, ita tamẽ ut Arancij mali succo ac modico pipere torpescentes eorum pulpæ aliqua ex parte molliantur & excitentur.

De Salpa. Caput XIIII.

SAlpa piscium pulcherrimus nomen retinet, atq; omnibus notus est, siquidem eum à ceruice in caudã per argentea latera, aureæ, rubentesq; lineæ certis distinctę interuallis decentissime depingunt. Vnde Græci antiquores Mnaseæ Colophonio, q poema uarium edidisset, Salpæ cognomentum indiderint. Frequens est & procerus in Baleario mari, & pręsertim ad Ebussum insulam à copiosissimis salinis celebratã. Appellatur ab aliquibus, ut Plinius author est, obscœnus piscis, q percoqui non possit, nisi ferula uerberetur. Solitarius est, paritq; bis in anno luporum more. Natura astutus esse perhibetur, & longe omnium liquidissime audit, æstate melior est, & e toto mari circa Mitylenem probatissimus. Cæterum ille Archestratus, qui in coquinaria à Græcis alter

Theognis uel Hesiodus existimatus est, Salpã semper malum nobili carmine pronunciauit, ita ut mirum minime uideatur, si hodie quoq; is piscis, qui tã operose atq; eleganter à natura depingitur, ab optimatium mensis ut insulsus & mendax sit repudiatus.

De Sargo Caput XV.

IN hæc maria sargus nõ semper (quanquàm sit notus) enauigat, qui Brundusij Ennij poetę testimonio longe optimus habetur, præsertim si pręgrandis fuerit, ij nãq; quos Romæ habemus, Auratam magnitudine uix excedunt, quam etiam latitudine atq; argenteis squamis referunt. Sargus autumno & uere parit, ut ait Aristoteles, is alios minime comitatur ueluti superbus. Nullam inesse gratiam litoralibus, ait Plinius, quod mirum uidet, quum is maxime circa litora capiatur, ut in libro de historijs animalium Aelianus latissime disseruit, ubi Sargos ait caprarum esse amatores, eosq; propterea facile capi ad earum umbram, quam in extremis litorum marginibus, & scopulis collocatæ aduersus solares radios in æquora proijciant, & extendant, atq; ea specie, amore præferuidi facile alliciantur. Optimus est Sargus occidente Oryonis sydere, tum enim uites foliorum honore spoliantur. Archestratus in popinalibus delitijs mihi sæpius allegandus, Sargum siccæ carnis esse, ac ob id assatum eum & calidũ, caseo acetoq; conditum probat, sicuti uno edicto omnes sicciores pulpæ pisces condiendos præcipit, secus ac in præpinguibus & teneris sit necesse, qui solo sale atq; oleo inditis, in craticula sapidissime percoquuntur.

De Capone. Caput XVI.

CApo litoribus nostris familiaris, Venetis autem ignotus, caput habet ualde magnum, & illud quidem

enor

enorme, quadratum, & nullis uestitum pulpis. Oculi in eo sunt admodum rigentes, extēta supercilia, os languidum, minuti dentes, sub mento autem oblongæ ac rubētes pinnæ ad impexæ barbæ similitudinem, cætero autē corporis trunco rotundus est & teres, decrescitq; in caudam æqualiter extenuatus quousq; in postremam desinat caudæ pinnam. Porro uentrem habet ualde candidum, sed puniceo colore mulorum similitudine uariegatum, dorsum autem flauescere potius q̄ rubescere uidetur, solidis quoq; & albicantibus constat pulpis, sed q̄ tamen aliquanto salubrior sitq; sapidior, eruditioribus præsertim gnatonibus, qui illū ueluti aridiusculū aspernantur. Reperiuntur & alij capones, qui bifurcata habent rostra, & dorsum osseis squamis armatum, quos in genere Caponum piscatores ipsi mares esse testātur. Ego autem aliud genus esse crediderim. Cæterum hęc est uera & expressa Caponis effigies, quæ dum piscium antiquiora uocabula quęritarem, mihi haud temere de singulis dubitanti, non mediocre negotium fecit, quū modo illum à magnitudine capitis de genere capitonū alludente recenti nomine, esse putarem, modo Orphū ab oculorum aspectu & rubro colore arbitrarer, modo Erythrinus siue Rubecula ob eundem puniceum colorē esse uideretur. Nulla enim ex recenti gentium appellatione antiqui nominis cōiectura adferebat, ut pro certo possem aliquid eruditorum auribus dignum affirmare, quum Romani eum Caponem, Organum Ligures, Galli uero Roscettum, quod eorum lingua rubetum sonat, appellent. Sed Capitones de genere Mugilum, uanamq; subinde eius nominis coniecturam esse deprehēdimus, sicuti existimare uidet Volaterranus, qui imprudēter Caponem putauit esse Labeonem. Orphum uero

ma-

maiorem esse piscem, & unica etiam traiectum spina, quod in cæteris rarissime accidit, & denique tardissime eum mori, si etiam cultro medius diuidatur, authoritate Aeliani, Athenæi & Oppiani clare constat. Erythrinũ quoque esse nõ posse eadem ratione apparet, qua opinionem de Pagro refellimus, quoniam is toto anno grauidus, ouis quod plenissimus capiatur. Capones autem magna ex parte uentre uacuo reperiantur. Sed nos eum procul dubio de mulorum genere esse putamus, parati mutare sententiam, si acutiores meliorem attulerint. Siquidem mulũ expressissime refert & capitis effigie & ipso colore puniceo, qui nullis alijs in piscibus excepto capone & mulo, ea claritate conspicitur. Aliqui enim barbam habent, qui barbati & barbatuli à multis, & præsertim à Cicerone dicũtur. Quod autem duo sint Mulorum genera apud Athenæum plane perspicitur, anteponit enim barbatũ mulum imberbi mulo, sicuti Sophron poeta iudicabat. Plinius quoque id muli genus, quod est diuersum ab his qui gemina barba capillari insigniuntur Alutarium appellauit, quod barbatorum comparatione uilissimũ erat.
Volaterranus in hoc decipi uisus est, quoniam mulos barbatos eos esse, quos uulgus Barbos uocat, arbitratur, Barbos scilicet uiuaces illos, & ab ouorum malitia ualde noxios, quum Barbatus sit marinus, hic uero Barbus sit fluuialis, Ab Ausonio enim Barbus uiuax celebratur qui etiã eo argumento, quod tarde moriatur, de genere mulorum barbatorum esse non potest, quoniam muli teste Plinio, sicuti & nos sæpius uidimus, cum primũ extracti retibus fuerint, protinus expirent, cõtra uero Barbi uenales in lacubus ligneis, ut in Ticinensi foro uidere est, diutissime uiuant. An autem alutarius is sit qui capo nũcupatur, in medio relinquemus. Nec etiam absurdũ foret,

ret, si pro Capone Cytharus acciperetur. Natura enim qualitateq; pulparum, ut Galenus innuit, Cytharum à Capone non multum differre deprehendimus.

De Laccia. Caput XVII.

LAccia piscis Romanæ academiæ doctissimos quosq; diu torsit, quum in urbe longe sapidissimus haberetur, nec facile reperirent quo nam latino uocabulo foret appellandus, adeo ut ipse Pomponius Lætus grammaticorum eius ætatis princeps, & Platina idem ab ingenij monumentis & diligens historicus, & cocus industrius, temere Lupum esse crediderint, duplici quidẽ errore, quando & quid Laccia antiquitus fuerit, & qui sit hodie Lupus Tyberinus, penitus ignorasse uideantur. Is piscis subtilissimis contectus est squamis, & argenteo fulgore conspicuus, pulparum uero mollicie, saporeq; admodum delicatus, uerum adeo frequentibus ac molestis spinulis præteneræ eius carnes impediũtur, ut in cõuiuijs illarum tædio atq; periculo summę suauitatis gratiam amittant. Subeunt Lacciæ Tyberim amnem ad prima ueris signa, sed tum strigosæ & ab quadã marinæ salsuginis ariditate parum amabiles, quæ mox paucorum dierum mora Tyberinis in undis mirifice pinguescũt, raro cubitalem superãt magnitudinẽ, et incipiẽte statim æstate in maria reuertuntur, sicut reliquo tẽpore rarissime appareant. Præter ipsum Tyberim, Arnus, & Vmbro in Etruria, in Campania uero Lyris & Vulturnus laudatissimas præbent, in Pado quoq; reperiũtur haud ignobiles, in Galliæ uero, Hispaniæq; amnibus longe maximæ, sed quas sapientiores parasiti Tyberinis minime esse comparandas existiment. Hispani Sáualos, Alosas Galli & Campani, Erusci autem & Veneti uetere seruato nomine Clupeas appellant: apud Aristotelem ue-

ro Strabonem, Aelianum, Oppinanum, & Athenæum Thrissas legere est, quam uocem Alosam interpretãtur Theodorus Gaza & Gregorius Tiphernas, ita ut idem esse & Thrissam & Alosam, & Clupeã, quam modo Romani Lacciam appellent, manifeste appareat, quoniam Ausonij poetę Alosa, quum dicit: Stridentesq; focis obsonia plebis Alosas, Romanæ Lacciæ, uti Galli referũt, omnino simillima sit, & Clupeæ Venetæ atq; Etruscæ, idem esse cum Laccijs censeantur. Verbanus lacus, qui hodie maior cognomine nuncupatur, item & ipse Larius Acones pisces ferunt, effigie ac sapore Laccijs persimiles, uerũ magnitudine inferiores, utpote qui ad summum, pedalem mensuram non excedant. Vere quoque sunt graciles natura à Laccijs plurimum diuersa, autumno autem q; optimi, neq; illud obstiterit quod à plærisq; dicitur, Clupeam eandem & Lacciam esse non posse, quando Clupea tantæ (ut uidemus si Laccia sit) nobilitatis piscis ab antiquis authoribus Latinis parum celebratus esse uideatur, nam unus mihi pro omnibus Ennius poeta amplissime satisfacit quum dicit:

Omnibus clupea præstat, mustela marina,
Mures sunt Aeni, aspera ostrea plurima Abydi,
Mus Mitylenæ est. Celebrat etiam alios pisces, sicuti uidere est in his carminibus quos Apuleius in Apologetico citauit. Id uero accidisse crediderim, quoniã Clupeæ toto ferme anno delitescant, tantumq; perangusto illo adolescentis ueris tempore, quo solum insigni sapore præstent, ueluti in ostentationem sui, amnes subeundo capiantur, ita, ut acute & perurbane dixerit Hieronymus Vida idem summus et religiosissimus poeta, quum in conuiuio de Polyporum, Luporum'que prudentia dissereretur, neminem Clupea pisce prudentiorem sibi

uideri, quoniam non alias, nisi quum obesus esset, appareret, & quidem opportunissimo tempore, quando uere ipso, per sacras leges sublatis carnium obsonijs, ipsi pisces in summo honore à Christianis habeantur. Cæterū Lacciæ uberrime nutriunt, sed glutinosioris alimēti excrementa in stomachis non facile atteruntur, propterea ab ipsis exhalationibus intempestiuam somnolentiam inducere, & sitim augere existimantur, præsertim si appetentibus ad explenda, uel mediocris etiam gulæ desyderia, minime defuerint, quod paucis, uel certe ipsis tantum è summo ordine nobilibus, ob eius piscis graue pretium, raritatemq́ contingit.

De Trigla. Caput XVIII.

LAtini ueteres Triglam à Græcis appellatam, mulū uocauere, à colore Muleorum calciamētorum, quæ languidum ruborem illum, uti in Persici & Ciclaminis herbæ inuersis folijs conspicimus, repræsentat, ut referēte Plinio, Fenestella existimauit. Triglæ uero nomē ob id à Græcis fuisse inditum, ꝙ Dianæ Hecati dicaretur, q̄ sit triformis, unde Vergilius dixerit, Tria uirginis ora Dianæ. Ea uero de caussa Dianæ sacrificari testatur Athenæus, quoniam Triglæ lepores marinos hominibus mortiferos, uti uenatici canes uenatricis deæ auspicijs ꝑsequantur. Eam Romani hodie, quum iam uetus latinū nomen exoleuerit, Græco uocabulo Triglam appellāt, Fuit is antiquorum prodigio luxu adeo insignis & pretiosus, ut sæpius argenti puri pondere à priuatis etiam Quiritibus emeretur, quum pedis longitudinem superaret. Galenus ut erat acerrimus Romanæ luxuriæ castigator, unius eius piscis æstimatione plærumque miratus est eorum gulam, qui tantulum piscem tanti emerent, Cui eruditi Ganeones subtilissime

respondebant, proceriores propterea quæri, q in maio-
ribus & maiora capita & ampliora iecinora, ad conden
da uaria pulmenta inuenirētur, ut ex Horatiano carmi-
ne, quum dicit: Mulum in singula quem minuas pulmē
ta necesse est. & ex Plinij uerbis, qui alecem ex iecinori-
bus mulorum confici affirmat, manifeste deprehendi-
tur. Trigla ter in anno parit, nec amplius, quoniā ter foe-
tis uermiculus innascat, qui genitalia semina protinus
abrodat. Triglæ admodum sunt uoraces, ita ut huma-
nis etiam cadaueribus uescantur, sicuti in hanc sententi
am expressit Oppianus, quum dicit: Trigla uorat foedas
sordes, & mergit in aluum Omnes illuuies ponti. Pro-
bantur Muli qui barbati sunt duplici crine à mento de-
fluente: altera species ignobilis, Alutarium uocatur: in
Thasi insulę litoribus optimi & maximi euadunt, apud
nos hyeme & suburbano in mari capti maxime laudan-
tur. Ligusticis enim & Venetis, itemq; Neapolitanis,
non ea saporis gratia, quanq; sæpe multo grandiores in
conuiuia ueniant. Galenus ait Triglæ carnem neq; pin-
guem, neq; lentā, aut uiscosam esse, sed duram atq; friabi-
lem, propterea gratam gustui, & digestione facilem, &
in genere alimenti naturæ hominū congruentē & maxi
me accommodatam, sed eam Plinius neruis inutilē exi-
stimauit, recte atq; salubriter in craticula coquitur, quæ
longe sapidior erit, si petroselini subfrixa folia, atq; in-
stillatus cum oleo Arancinus succus accesserint. Apiti-
us nepotum ille maximus gurges in Garo, quod ex sali-
torum Scombrorum muria liquamē erat, uiuos mulos,
ut sapidiores euaderent, enecauit. Triglam si in uino suf
focetur, idq; à uiro protinus ebibatur, impediendæ Ve
neris potestatem habere Athenæus, authoritate Ther-
psiclis affirmauit, qui & mulieres quoq;, si illud itidem
potauerint, minime posse concipere, testatus est.

De Sauro, Trachuro, & Scombro. Cap. XIX.

SAurus antiquum nomen adhuc retinet, nec pedísma gnitudinem excedit, minores fricturæ nomine ueniunt. Sunt enim multa piscium genera, quæ ob paruitatem in sartagine frixoria feruenti oleo coquuntur, sicut Triglæ, Bocæ, Scombri, Trachuri, Pagri, & Auratæ, & propterea uno nomine frictura uulgariter appellãtur. Sauros Galenus à carnium mediocritate laudauit, quod mediæ sint inter duras & molliores. Athenæus quoque eos sapidissimos esse ait, si exẽptis branchijs, caseo, sale, atque origano condiantur. Trachina & ipsa etiam in fricturæ numerum refertur, quam Trachurum, ut Oppiano uidetur, esse putamus, uel ut Athenæo placet, Trachidã eo argumento, quod infestam & prope letalem spinã in ceruicibus habeat, & binas item alias, & quidem acutissimas ab auribus prominentes. Hic piscis oblongus est ac tenuis, & falcatus in uentrem, cuius latera lineæ frequẽtes & obliquæ uergentes ad cœruleum colorẽ pulcherrime describunt. Scombrum uero nostri Lacertum appellant, qui à Venetis antiquo nomine nũcupatur. Cornelius quoque Celsus eum pro Lacerto accipere uidetur, ex quo salsamentum fieri ait, interpres etiam Galeni antiquior & ineptior, Saurum Lacertum appellauit. Scõbri & oblongi & exiles sunt, & sulphureo colore cõspicui, præsertim quum in aquis uagãtur, uere pinguescũt, quo tempore Venetijs inter delicatiora obsonia reputãtur. Romæ autem ab innata quadam siccitate sunt ignobiles. Icesius minores scombros maioribus anteponit, quos bono succo nutrire uentres autumat, sed qui tamẽ difficilis secretionis habeantur.

De Asello & Merula. Caput XX.

ASellũ proprio nomine Ligures, Romani uero scar-

mum & Merluzum appellant, capite est admodum la-to, pressoque, ut in Gobijs uidemus, ore autem maxime de-ticulato ac patulo, cætero corpore est oblongior, squa-mæ sunt admodum minutæ, & uergentes ad cinereum colorem, sicuti in asellis quadrupedibus conspicimus. M. enim Varro Merulam, Turdum, Vmbramque, & asel lum à colore quem referant, ait appellari. Aselli dum æ-stiui soles ferueſcunt, ardoris impatientia latitant, sicu-ti Glaucus & Aurata, nec quoties pariant, inueniri po-tuit, ut ait Aristoteles. Eorũ genera sunt duo, maiores banchi, qui in bipedalem magnitudinem augentur, & minores quos Callarias uocant. Plinius eos in capite la pillum gerere, & delicatos esse commemorat. Galenus uero cum saxatilibus æqualem habere carnem attesta-tur. Sunt & Surdi subuiridi colore & frequentibus gut tis, ut in uolucribus uidemus, uariegati atque insignes, i-temque Merulæ, Coccyges à Græcis appellatæ, quæ ab medio quodam colore inter atrum atque subfuluum Me rulis auibus assimilantur, sed in aquatilium genere, non eam habent saporis nobilitatem quam turdis & meru-lis auibus ueteres attribuere. Siquidem & Turdi admo dum insulsi sunt, & Merulæ, ut Athenæus ait, difficilli-me concoquuntur, in quarum conditura Archestratus ille poeta parasitus, cum caseo, maloque granato, & sale atque oleo Silphium admiscuit, quod, ut Hermolao pla-cet, laserpitij genus est, sed quomodo is succus concre-tus & odoratus in conditura piscium conuenire possit, alij uiderint. Sunt & Phycides Tincarum uiridium co-lorem atque effigiem referentes (Fici uulgo nuncupan-tur) qui procerum patinas raro implent, quum insipi-dissimi sint.

De Boca. Caput XXI.

DOrsum picturatum habet Boca, piscis notus omnibus ferme litoribus, atque uno tantum nomine nuncupatus, dictus est a uoce, propterea quod sacer sit Mercurio eloquentiæ deo, sicuti cytharus Appollini, Dianæ Trigla, Libero patri Cittulus, Veneri Apua, & ipsi Neptuno Pompilus nauigiorum comes. Aristophanes autem Byzantius, ut Athenæo placet, Bocam potius Boopam appellari debuisse asserit, quoniam is piscis prægrãdes habeat oculos, sicuti & Silurum potius Sciurum a crebro motu caudæ nuncuparit. Cæterum Bocæ fœcũdissimæ sunt, & gregatim capiuntur, solentque eas piscatores in oleo acetoque semicoctas cum myrto plurima in canistris asseruare, quæ postmodũ in remotissimas a mari Italiæ regiones mercimonij caussa deferuntur.

De Gobio. Caput XXII.

GObio uel Gobius Venetijs frequens, et pingui teneritudine delicatus, rarissime Romæ cõspicitur, pro squamis uariam cutem habet & ualde lubricam. Candicantes nigris, Plinio authore, præferuntur, uirides autẽ sunt pessimi, semipedalem longitudinem non excedũt, circa litora parere solent, ut Aristoteli placet, & uado potius in mari ac æstuarijs quam in alto, uel ubi fluctus scopulis alliduntur, quanque & eius generis maiores sint ex saxatili genere, quos & Caulinos & Cothonas, ut Hermolao uidet, Siculi uocauere. Icesius Gobios multi esse succi & facilis digestionis asserit, sed qui & exiguũ simul & malũ prębeat nutrimentũ. Gale. aũt dicit Gobiones circa arenosa litora et saxosa promõtoria esse, et gustui gratos, & in prima & secũda digestione facile secerni, cõtra uero qui ostijs fluuiorum & stagnis caperetur, ualde detestabiles. Sunt etiam fluuiales Gobij ex Verbano p ser

tim

tim & Lario lacubus, qui insignes habentur, ipsis iecino ribus palato gratissimis, eos & Strincios & Botetrissias Insubres appellant. In Etruria quoque in Marina præsertim amniculo, qui ex Apennini iugis apud Pratū oppidum in Arnum euoluitur, Iocthij sunt pisciculi delicatiores, Gobionibus admodum similes, qui quum effigiē illam mire exprimant, etiam in tantula carne eundem saporem habent.

De Scorpena. Caput XXIII.

SCorpionem & Scorpenam Aristoteles diuersos facere uidetur: idem & putauit Athenæus qui citat Aristotelem: unde Hermolaus quoque ipse in corollario nihil pro certo affirmarit. Cæterum Scorpenam ferme omnes uernaculo nomine nuncupamus piscem subrufū, uariumque, & multis armatum aculeis, cute autem minime squamea, sed Gobionis similitudine lubrica, qui, ut ait Ambrosius, uenenato aculeo sit truculentus, eorum unum genus pelagium est, alterū palustre, illi rufescūt, ij uero nigricant, qui & minus probantur. Pariunt bis in anno, in uniuersum Icesij authoritate uentrem leniunt, facile secernuntur, & quum multo abundent succo, multum etiam alimenti præbent. Epicharmus in nuptijs hebes, Scorpenam ait esse solitarium, et marina uesci alga, minores qui semipedalem longitudinem non excedūt, maioribus anteponuntur iudicio Archestrati, qui fuit obsoniorum structor longe subtilissimus.

De Perca & Melanuro. Cap. XXIIII.

PErcas pelagias Romæ raro uidemus, assimilātur hę Mænis ipsis, quæ hodie Menulæ dicuntur, nam subfuruas habent zonas, quibus ipsæ toto corpore squamosæ & argenteæ distinguuntur, in dorso impares eminēt aculei tenui inter se membrana coniuncti. Propterea Athenæus Percam ait spinis esse coronatam, & insigni ua-

rie-

rietate conspicuam. Pulchrę quidē sunt, gratęq; gustui, & languentibus salubres. Plinius inter saxatiles eas cō numerat, & ex ijs qui hyeme capiantur. Dux & magister Percarum est Melanurus, qui alio nomine Oculata dicitur à magnitudine oculi, ut Theodorus interpretatur, uarius est, & frequentibus guttis conspersus, nō absimilis Auratæ, uerum natura, ut Aeliano placet, pisciū & timidissimus idem & cautissimus, nā ex ipsa maris trā quillitate piscatorum aduentū præcognoscit, mergitq; se profundissimo mari, si uero in summas aquas fuerit enatandum, agit circa scopulos, & mira sagacitate in spumis latitat, quas infracti scopulis fluctus continue excitant. Cornelius Celsus Oculatā in genere alimenti maxime probauit. Numenius uero Melanuros uim obstruēdarum uenarum habere, & multo Sargis sapore & succo inferiores esse testat, ita ut Melanurus alius ab Oculata esse uideatur, sicuti sensisse Plinium putamus, qui Oculatam Soleis atq; Passeribus admiscuit, & in eodē uersu utriusq; mentionem separatim facit, quod & diligentissimus Hermolaus animaduertit, quū in hoc pisce aut Plinium aut Theodorum errauisse arbitraretur. Id uero Gazam mouere potuit, quoniā Aristoteles, quum de Scaro mentionē faceret, semper Melanurum illi coniūxit, idemq; fecisse Celsus uideretur, nam scarum semper cum Oculata nominauit, quasi quum Melanurum dictionem græcam reformidaret, Oculatam pro Melanuro substituerit, qui piscis à Latinis, uti hodie Venetijs & alibi Ochialis propter oculorum magnitudinem nuncupatur, non autē is à nigricie caudæ, sicuti Græci appellabāt, Nigricauda uel Atricilla uocetur. Sed Melanurus, qui Neapoli frequens est, Romæ raro conspicitur, sicut nemini mirū esse debeat, si eius ueram effigiem instituto

m pi-

picturæ operæ minime referemus. Cæterum Percæ, ut ait Aristoteles, in fluuijs & lacubus etiã uersantur. Iiq́ȝ hodie in Gallia summam obtinent dignitatem alendis febricitantibus, appellantq́ȝ eos Galli antiquo nomine Percas, quos celebrauit Ausonius Gallus, quum dixit in Mosella: Nec te delitias mensarum Perca silebo,
Amnigenas inter pisces dignande marinis,
Solus puniceis facilis contendere Mulis. In Italia autẽ laudatissimi sunt è Lario lacu, quos Nouocomenses ipsi Percecos appellant. Eos fama est fuisse aduectitios & inquilinos, tralatis scilicet seminibus è lacu Eupyli, qui Lambrum emittit amnẽ, ut meminit Benedictus Iouius frater in Larianis lusibus ad Minitium Caluum:
Eupylis exigua sum Percecus ortus in unda,
Meq́ȝ peregrinũ Larius inde tulit. Sed Eupylis multo minores, q̃ Larius Percecos producit, quoniam magna ex parte uel influentium aquarum defectu, uel occultiore aliquo hiatu terræ haustus multis ante annis exaruit, abijtq́ȝ in tres minores lacus aquis in depressiora loca subsidentibus, qui à Licino foro uetere oppido, quod & ipsum interijt, plebis Licini Lacus hodie nuncupantur. In Lario Percæ ad pedalem crescunt magnitudinẽ, croceas pinnas habent, & maturescentibus præsertim uuis ab ipso pingui & præteneris interaneis magnopere commendantur. Medici ferè omnes Galliæ Cisalpinæ Percas ęgris robustioribus apponere non dubitant, præsertim si crudarum uuarum succo, quem agrestã uocant, diligentissime condiantur. Diocles quoq́ȝ medicus in libro de salubribus, ut Athenæo placet, Percam è saxatilibus qui molliores habeant carnes, ut sunt Turdi, Merulæ, Gobij, & Phycides, plurimum laudauit.

De Rhombo & Passere. Caput XXV.

HActenus de squamosis piscibus, nunc de planis agimus, qui spinas habẽt, & de his quę ab Aristotele Selaches, quod spinis careant, & a Plinio carthilaginata appellantur. In his principatum obtinet Rhombus, sic dictus fortasse ab instrumento Thessalico magico, quod Rhõbum, id est, rotundum sit: est enim hic piscis longe latissimus, & ouali figura rotundior, quæ forma in instruendis aciebus Rhombi nomine a scriptoribus rei militaris appellatur, unde Martialis: Quamuis lata gerat patella Rhombum, Rhombus latior est tamen patella. Græci authores Rhombum Psittæ nomine uocarunt, ita ut Psitta genus ad Rhombum, Passerem & Soleam esse uideatur. Aristoteles namque Rhombi nusquam meminit, sed Passeres, sic hodie nuncupati a Romanis, magnitudine saporeque, & figura etiam oblongiore a Rhombis differunt, in eo quoque dissimiles, quoniam dexter situs sit resupinus Rhombis, leuus autẽ Passeribus & Soleis. Cæterum Rhombus inter planos obtinet principatum, quẽ nobilis quidam aulæ procerum circa popinales delitias ingeniosissimus aquatilem Phasianum appellare solebat, non absurda quidem comparatione, sicuti & Soleas Externis, Lampetras Coturnicibus, Lupos altilibus Capis, Sturiones uero Pauonibus adæquauit, ut ex coquinarijs commentarijs, quæ eius coci nomine circumferũtur, licet intueri. Capitur Rhombus toto anno, & circa pinguiorem arenam & arenulas, extremasque litorũ margines natat trãsuersus, cõuoluitque se certis flexibus Strabonum more, ut situs oculorũ uitium emendet, sua'que potius latitudine quam pinnarũ adminiculo fretus cursum dirigit, omnium profecto & temporum & locorum piscis, idem'que & delicatus & salubris, hyeme tamen quam æstate, & in Italia Rauennæ, quam alibi multo laudatior. Rhõ-

borum pulpæ sunt candidæ, & presso quodam humore succulentæ, quæ affatim & salubriter alunt, modo in prima concoctione, quæ celebratur in stomacho, superfluę earum partes perfectissime secernantur. Galenus in alẽdis conualescentibus Rhombos in iure simplici cũ modico sale, porris & anetho intritis percoquebat. Sanis autem, & his qui sensum appetentis stomachi deiectum habuissent, tostos in crate, acetoq; consperfos, uel frixos cum Garo ac uino apponere consueuit.

De Solea. Caput XXVI.

SEquitur Solea, Lingulaca à M. Varrone nuncupata, ab Athenæo autem Buglossus, quod bouinæ linguæ effigiem imitetur, hodie in lautioribus conuiuijs, in summa etiam cæterorum piscium copia, magnam obtinet claritatem. Probatur hyeme & frixa Arancij mali succo, pipereq; conspersa. Maxima in Belgicis Oceani litoribus reperitur, nostrates pedalem longitudinem raro superant. Soleæ maleficos pisces defugiunt, eaq; solum frequentant loca, in quæ belluæ minime accedunt, ita ut argumento sint maleficos non esse, ubi ipsæ, ueluti solutæ metu uagentur. Solea leuissimum adgenerat nutrimentum in stomacho, facile cõcoquitur, & in secundis uenarum & iecinoris digestionibus nulla ferm è noxiarũ superfluitatum excrementa relinquit.

De Citula, siue sancti Petri pisce. Cap. XXVII.

PIscem è genere planorum, similitudine Istricis ipsa dorsi acie aculeatum, capite extẽto, ore latissimo, cuius maxillę ex perspicua membrana constare uidentur. Romani Citulam & sancti Petri piscem, uti & Veneti, Ligures autem Zaphirum appellant. Sunt in eius utroq; latere gemini orbes, qui bina imprimentium digitorum uestigia esse uidẽtur. Sapore, pretio, & effigie, si caput

put absciderıs, ipsi Rhombo persimilis. Quo autem no= mine Latini ueteres, Græciq; illum appellarint, pro cō= stanti affirmare non ausim. Quibusdā uidetur esse Chal chis de genere Rhomborum apud Columellam. Puta= ui ego illū esse Achantiam, qui sit de genere Galeorum apud Atheneum, sic dictus ꝙ spinosus sit, & certe si Ga= lei prolem ore suscipiunt, ut eam ab inuadentium pisciū iniuria tueantur, hic piscis ante omnes, os habet aptissi= mum, ut ea pietatis in filios officia commodissime præ= stentur. Acanthæ certe Oppiano è genere Galeorū sunt & aculeati, sed is fortasse est qui à nobis Colūbus piscis appellatur, infimæ plebis obsonium, qui oblongus est, & carthilaginatus, spinamq; habet in dorso. Aliquādo quoq; dubitaui, an esset Cytharus, quem sepius Galenus cum Rhombo nominauit, asserens Rhombos sapidio= res & meliores esse Cytharis, ut manifeste in mensa utri= usq; collatione deprehendimus: Inuenio tamē apud A= thenæum piscem Citulum dicari Libero patri, sicuti Cy tharum Apollini, Triglam Hecati, Apuā Veneri, qui, si nominis coniecturam sequemur, profecto Citula Ro manus antiquorum Græcorum Citulus esse poterit.

De Torpedine. Caput XXVIII.

TOrpedo effigie, potestateq; admirabilis, sic dicitur, quoniam capta in retibus, priusq; attingatur, pisca= torum manus stupefaciat, propterea Veneti eā Sgram= sum, quod est, torpescentis membri affectus appellant, Romani autem modo Battipotā, modo Foterisiam, fre= quentius uero Oculatellā dicunt, ꝙ in eius dorso quinq; ocellos subnigros ipsa natura depinxerit. Subrufa est, p= na parte, supina autem candida. Auerroes, cæteriq; phi= losophi, Torpedinem ea qualitate manus adficere, qua ferrum à magnete lapide pertrahatur, existimarunt. At

Galenus Torpedinem inter pisces, quibus uescimur, in tertio de alimentis nominauit, quanquàm ea hodie à plebe, egentissimisq; hominibus tantum comedatur.

De Raia & alijs. Caput XXIX.

SVnt etiam è planis Raiæ & Squatinę, & item compositi ex utrijsq; Rhinobates siue Squatraiæ, quæ fœdæ sunt aspectu, atq; æsu admodum iniucundæ, quum inter sordidæ plebis atq; pastorum obsonia censeantur. Raiarum fel auribus sanandis aptissimum est. Squatinarum autem scabrum tegumentum, ad poliendum ebur propter asperitatem ab artificibus expetitur: ex eo cultellorum & falcatorũ ensium uaginas Turcæ, Barbariq; maritimi admodum pulchras conficere solent, quas Sagrinas appellant. Est etiam huius generis Pastinaca, idem & Turtur & Trigon, quę à mortifero aculeo lethalis ab Oppiano dicitur, quo Vlysses ictus à filio perierit, hodie Bruccus dicta. Hæc simul & Raia & supra citati pisces è mustellino sunt genere, prolem tamen ore (ut alij solent eius speciei) suscipere nequeunt propter caudarũ asperitatem.

De congro Caput xxx.

POst planos pisces oblongi & lubrici citabũtur, & ante alios conger subalbus & teres, qui ingentis anguillæ speciem præ se fert. Hunc Icesius ait omnibus gregalibus piscibus duriorem, & ob raritatem carnium tenuissime nutrire, neq; laudabilem præbere succum, eum tamen stomacho minime esse molestum aut incommodũ. Idq; Galenus affirmat, qui dicit congros parum afferre nutrimenti, cæterum facillime eorum carnes digeri atq; secerni, ita ut mirer Albertum magnum, quũ dicit congros natiua quadam proprietate lepram morbum generare. Congros in immensam crescere magnitudinem apud Sicyonẽ Peloponnesiam Eudoxus tradit, ita ut cur

rum

rum longitudine superent. Porro Archestratus in lib. de legibus uentris, Congros in Italia longe optimos iudicauit, quod mihi nequaquam uerisimile uidetur. Quando neque hodie aulæ principes, neque ipsi cupediuoræ congrum magnifaciant, solique Hispani Romanæ urbis inquilini, eum exoticis quibusdam pultarijs incoctum, in summo honore habere uideantur. De Murena. Cap. xxxi.

MVrenæ toto mari sunt frequentes, sed in Siculo longe maximæ atque optimæ, eas Columella Flutas appellauit, quod summis in aquis fluitent, unde accidat, ut in nimijs solis ardoribus exusta cute sese mergere nequeant, amissaque flexuosi motus agilitate capiantur. Sunt maculosæ, et in collo aliquot stellas ad formam septentrionis habere dicuntur, quæ statim morientibus euanescant. Mira in ijs sagacitas, nam ut se captas sensere, hamum auidissime deuorant, dentibusque lineam protinus abrodunt & effugiunt. Veteres Romanos a uiuacitate potius quam a saporis præcellentia Murenas æstimasse crediderim, quoniam magna eorum copia in cotidianos usus, uiuarijs inclusa diutissime poterat asseruari, cæteris piscibus, aut tædio carceris, aut uitio piscinarum facile pereuntibus. Constat enim C. Hircium ex uiuarijs epulo triumphali, dictatori Cæsari sex milia Murenarum mutua appendisse. Mansuescunt, & de manu hominis æscam accipiunt. Crassus ille, cognomento diues, Murenam altilem adamauit, adeo ut fato functam aliquando luxerit, & tumulo indiderit. Extat quoque illud salsissimum Crassi dictum, quum L. Domitio admodum ridenti, atque admiranti, quod mortuam defleret Murenam respondit, Mirum quidem esse quod extinctum piscem lachrymis prosequeretur, sed multo quidem admirabilius, quod ipse tres a se elatas uxores non lugeret. Extulerat enim tres uxores

Domitius, quas quidem ueneno, ut dotibus potiretur, sustulisse dicebatur. Aliquæ etiã fœminæ in delitijs Murenas habuerũt, ut Antonia Drusi, quæ uni spectatæ mãsuetudinis gemmatas inaures addidit. Vescũtur humanis carnibus Murenæ, idq́ Vedij Pollionis crudelitate uerũ esse apparuit, qui damnatos seruos in uiuarium demergebat, ut illi non extemplo sed paulatim in minutissimas discerpti partes, murenarum morsibus absumerẽtur. Ferunt Murenas in cauda uitalẽ spiritũ habere, propterea illas aliquãto celerius interimi, si in extrema caudæ parte potius q̃ in capite fustibus uerberentur. Sanga Romanus poeta lepidus, quũ Pyrgorum in litore piscaremur, docuit murenas ab antiquis exossari, Plauti authoritate, ut eorũ carnes nullis impeditæ spinis gratiores redderentur, ingentemq́ ille murenam binis bacillis utraq́ manu comprehensis mediã astringendo detergendoq́, recte et festiue admodum exossauit. Serpentes cũ murenis coire, quas sibilo è profundis in litus euocẽt, D. Ambrosius & cõplures antiquorum tradunt, cui opinioni Athenæus refragatur authoritate Andreæ, qui de his quæ falso creduntur, librum ædidit. Murenæ toto anno pariunt, estq́ de genere earum Murus robustior & grandior, & unicolor, Larici ligno colore persimilis, ut Aristoteli uidetur, quẽ Myrinũ Plinius appellat. Inuenitur & murena fluuialis multo minor, quæ unã tãtum habet spinã, & Gallaria, authoritate Dorionis, ab Athenæo nuncupatur, ita ut arbitrer hãc minorem murenã intelligere uoluisse Athenæũ pro ea, quæ à nobis Lampetra uocitetur, sed de hoc mox diffuse differemus. Murenarũ carnes non minus nutriuntq̃ anguillarũ atq́ congrorum, ut Icesius asserit. Verũ ab duritie quadã innata, & ex tenaci humore laboriosissime digeruntur,

sed

ſed à lactibus eximijs ſummã commendationẽ accipiũt, quibus Heliogabalũ Cæſarẽ inſana prodigalitate, quũ in mediterraneis eſſet, aulam omnem ac ruſticos pauiſſe Lampridius in hiſtorijs affirmauit.

De Acu. Caput xxxij.

EST & Acus de longorum genere, quæ à Græcis Rhaphis & Bellona dicitur, roſtrum habet gruis uel ciconiæ ſimilitudine, colorẽ uero argenteũ, ſpinã autẽ, ut Albertus magnus annotauit, uiridis coloris: Hic piſcis ſero parit, & per æſtatem tantũ, utero dehiſcente tempore partus, ſecus ac cæteris accidat piſcibus, qui ipſo uuluæ foramine pariunt, ut Ariſtoteles exiſtimauit, Humidũ, bonumq́ ſuccum eius carnes pr ębent, ſed tardiuſcule cęterorum comparatione concoquuntur.

De anguilla. Caput xxxiij.

ANguillas, quod anguibus aſſimilẽtur M. Varro dictas exiſtimauit: naſcuntur ex limo, algarumq́ putredine imis in lacubus & fluuijs nullo coitu, nullaq́ fœtura, ut ait Ariſtoteles: uiuaciſſimę ſunt, quoniam branchias habent peranguſtas, unde etiã fit, ut turbidas aquas difficillime tolerent. Reperiuntur & in mari anguillæ ſecũdis amnibus deuectæ ſecus ac alijs cõtingat piſcibus, qui è mari ſubire amnes, allecti aquarũ dulcedine cõſueuerunt: & eæ quidem multo ſapidiores uidentur, quàm ipſę prognatæ nutritæq́ in amnibus, ueluti quæ uiſcoſum, lentumq́ illum habitũ penitus exuant ſalſarũ aquarũ egregio tẽperamento. Neq; tñ credendum eſt, in alto ac profundo mari dulciorem deeſſe humorẽ, quo maxime piſces foueantur: Nam ut ait Ariſtoteles, in profundis uadis aquarũ dulcium uenæ perennes exiſtũt, & in ipſa marinarũ aquarum mole portio certa dulcioris humoris reperitur, quum maris aqua,, neq; ſimplex ſit, neq;, ut

aliqui uoluerunt, purum elementũ, argumento sunt uasa cerea e nauigijs in altũ demissa, q̃ paucarũ horarũ spatio dulci aqua p meatus subtilissimos recepta, manifestissime replẽtur, ut Democritus ante Aristotelẽ, & utroq; posterior Theophrastus, experimento deprehenderũt. Cæterũ anguillæ in mari rarissime, frequẽter uero in omnibus ferme fluuijs ac lacubus Italiæ capiũtur. Sed ingentes et sapidissimas alit Vulsinensis lacus, quarũ incredibilem multitudinẽ capi uidimus in excipulis ad egressum Martæ amnis fabricatis, cũ Alexãder Farnesius cardinalis Leonem Põtificem in eam amœniss. regionẽ ab urbe uenandi studio secedentem regali magnificentia suscepisset. Anguillas omni ex loco, omniq; tpe, & præsertim circa solstitium, medici detestant. Stomachis enim & renibus sunt inimicæ, sed p̃cipuum sentiunt nocumẽtum ex earum obsonijs, qui arenulas mingere consueuerũt, qm̃ illæ anguillari glutino in calculos cogi & astringi uideantur. Podagra quoq; laborantibus manifeste officiunt, nec ullis morbis medẽtur, sic ut inique fecisse natura uideatur, q̃ tam suauem refutandis, expuendisq; piscibus saporem indiderit. Cæterum anguillas minime noxias, sed quæ ꝑpter exilitatem cõmode uerubus torreri non possint, gignit Serius Cremonensis agri fluuiolus, qui in Adduã excurrens, Vidæ poetæ paternas possessiones interluit.

De Lampetra Cap. xxxiiij.

SVbeunt Arnum & Tyberim Lampetræ, atq; in ijs p̃sertim amnibus ad generosum habitum adulescunt, Anguillis, uel paruis potius murenis assimilantur: sunt enim lubricæ & nigricantes, tendente tamen earum parte prona ad cœruleum colorem, utroq; autem gutturis latere foraminulentæ, si quidem septenis paribus fistulis

lis mirabili ordine à natura fabricatis acceptam aquã emittunt, quum branchijs omnino careant, nec cubitalẽ excedere magnitudinem soleant. Omnibus autem Galliæ Cisalpinæ riuulis, ipsisq; præsertim Ticini atq; Adduæ emissarijs multæ reperiuntur pretiosæ admodum, quanq; minimi digiti crassitudinem rariss. superent. Sed Romanis præcipua nobilitas à magnitudine atq; sapore adeo, ut denis sæpe aureis singulæ ueniant, ipso præsertim uere quo maxime probantur: Neq; enim dum ieiunamus & frugi esse debemus, luxuria castigatur. Retulit Platina in culinarijs suis duorum Cardinalium luxu, superbiaq; certãtium obsonatores centum aliquãdo argenteorum nummũ uni Lampetræ pretium fecisse, quũ in foro piscario ambitiosius cõtendendo eum piscẽ pertinaci atq; insana profusione ueluti ad hastam licitarentur. Lampetram neoterici quasi à lambẽdis petris dictã putant, quam Græcis Galeum, Latinis uero mustelam fuisse arbitramur. Eam Ennius poeta pretiosissimis æqualem facit, & Plinius bonitate Scaro proximam esse testatur, & Ambrosius gustu suauẽ uocat. Porro Galeorum plura sunt gña, ut apud Aristotelẽ, Athenæum, Oppianumq;, ac ipsum præsertim Galenum licet intueri: dicit enim piscis Mustela è Galeis, siue ex mustelino genere, ut Theodorus Gaza passim interpretatur, prolẽ ore suscipere & rursus emittere, ut illam à piscium maleficorum iniuria tueatur. Cæterum Galenus in tertio libro de alimentis Philotinum reprehẽdit, qui Galeum in ordine duras habentium carnes collocabat, quum Galaxius sitis piscis è genere Galeorum, quem Latini mustelã appellant, piscis, inquit, & mollis & apud Romanos gloriosus. Neque enim ille uetus pariter ac ineptus Galeni interpres unq; pro Galeo Mustelam interpretatus est.

Quod profecto Theodorus fecisset, qui semper nomini bus Græcis, pro uirili, latina uocabula reddere consue- uit. Icesius pariter in lib. de materia, e genere galeorum meliores & molliores Asterias appellauit, ita ut fortas- se putandum sit eum pro Asteria lampetrā innuere uo- luisse, quod lampetra quasi a maculis, quamquam obscurioribus stellata sit, & mollis & delicata. Inuenio quoque nonnul- los authores, qui paruam murenam pro lampetra intel- ligant, ut ait Atheneus authoritate Dorionis, apud quē fluuialis murena, quæ marina sit, multo minor Gallaria nuncupatur, quoniam unam tm̄ habeat spinam. Pōt quoque accidere, ut idem sit Gallaria Athenæi, & gloriosus gala xius Galeni, unius literæ cōmutatione, neque mirum esse debet, quum utriusque authoris græci codices corruptis- simi habeant. Albertus quoque Magnus lampetram, mu renam paruam appellauit, qui quanquam sit ineptus & bar- barus, minime tn̄ hoc somniasse putandus est, quum ex ueterum potius cōmmētarijs laboriosissime excerptis, quam a multo nobilioris ingenij acumine, tot tantaque uolu mina cōdiderit. Id uero me plurimum mouet, ut Galeū ptiosum apud Græcos, nostratē hanc lampetram nō esse existimē: quoniam is Galeus, qui Rhodi longe om̄ delica- tissimus est, ab Archestrato in eo libro, quo uitam quærit Sardanapali, dicitur esse Accipenser, qui Plinio autho- re, rarus inuentu est, & squamis ad os uersis conspicuus. Verum ipsi Græci infinita quadam nominum cōgerie Accipenserem appellant, ut qui mō Ellopē, mō Callio- nymum, mō Anthiā, & pulchrum, & Callichthyn, quē etiam ministri cum tibijs coronati cōuiuijs inferrent, e- um uocare cōsueuerint. Sed ut arbitrer Lampetram an tiquitus fuisse mustelam, Plin. aptissime suadet, quum di cit in lacu Rhetiæ Brigantino mustelam esse marinæ æ-

mu-

mulam: Namq; is hodie lacus Hydrius est in Tridẽtino rum finibus, qui procul dubio antiquitus fuit Brigantinus. Is emittit amnẽ Clisium, in q̃ lampetrę reperiuntur. Sebinusquoq; Brixianorũ lacus Brigantino proximus, q hodie Hiseius dicitur, & Olliũ amnẽ emittit, ut plures eius accolæ mihi affirmarũt, aliquando lampetras Etruscis ac Rom. specie, saporeq; simillimas præbuit. Neq; propterea dixit Plin. marinæ æmulã, q̃a captam mari intelligere uelit, marinæ enim sunt, quæ in Arno ac Tyberi capiunt̃. Distant siquidẽ lõgo interuallo pulparũ bonitate ab his quas in alto mari expiscari aliquando solemus, quũ subaridæ agrestesq; sint, ita ut exprimere Plinius uoluerit Mustelas, q̃ nunq; mare attigerint, sapore cõmendandas dulcibus in aq̃s reperiri. Neq; enim Plinium Lãpetras paruas (quas Lãpetroccias uocamus) marinis cõparare uoluisse credendũ est: nã si de paruis intellexisset, ad Brigantinum ignobilẽ lacum, & ipsis abstrusum in alpibus minime fuisset recurrendum, quum uti supra diximus, tota Gallia Cisalpina in omnibus fluuiolis ac riuis copiosissime reperiant̃. Vnde uero Lampetram antiqui mustelam appellarint, incertum est. Verum ego piscẽ illum à lõgitudine candoreq; uetris, & à tergoris superioris subluteo colore (uti in quadrupedibus mustelis uidemus) dictum esse putauerim. Fuere aliqui eruditiores nostræ tẽpestatis, q Lampetram apud Plinium Lumbricum fuisse crederẽt, quum in. ix. dicat: Duæ omnino sunt pinnæ lõgis piscibus, ut lumbricis et anguillis & cõgris, quum & Lãpetræ sint lõgæ, & lumbricis terrestribus certo cõfinio assimilẽtur. Verum locum ibi deprauatum esse ostẽdit Alcyonius uir doctus, quum Plin. eadẽ uerba ab Aristotele mutuatus esse manifeste deprehẽdatur. Verba autẽ Arist. hæc sunt ex lib.

primo de nat. anim. Quæ autem in genere natantium pedibus carent, hæc aut pinnis natant, ut pisces, quorum alij quaternas, binas scilicet parte prona & binas supina habent, ut Aurata, ut lupus, Alij binas tm̄, qui longi leues que sunt, ut anguillæ & congri, aut nullas omnino habēt, ut murena, sed ita mari utuntur, ut terra serpentes, mōque simili repunt in humore. Theodorus autem uertit leuibus loco lubricis, quandoquidem in mendosam Plinij lectionem incidit, nec satis animaduertit, quo pacto castigare eam oporteret, ut librariorum uitio lubricis dictionem in Lumbricis addito, m, litera abijsse omnino credendum sit. Porro Hermolaus in castigationibus Plinianis nihil de lumbricis disseruit, in corollario autem apud Dioscoridem, quum mustelam nominaret, quis nā is piscis apud neotericos esset, cautissime subticuit, utpote qui de eo pisce nihil certi adhuc se cōperisse meminerat. Quod si hæc nōnullis qui in explorata ueritate morosi sunt, minime satisfecerint, operæpretiū erit eos Lūbrici nomen pro pisce apud aliquē idoneū authorem reperire, quod certe nunque (nisi fallimur) uel acuratissima lectione poterit inueniri. At si lūbricus erit piscis, qui lāpetra dicitur, testimonio alicuius fortasse authoris ab inferis reuocati, quis demū contra piscis erit ipsa mustela ab antiquis tātopere celebrata: quū nullus fere sit piscis palato gratissimus, cui suum nomen, idemque antiquum nō reddiderimus. Lāpetræ igitur suauissimæ sunt, Martio tn̄ Aprilique mensibus tantum, nam incipiente æstate durescit neruus interior, qui illis pro spina est: cæterum delicatiore quadam cōdimento multo maiorem, que ab ipsis pulpis, nobilitatem accipiunt. Necare enim eam in Cretico uino solent, eique myristica nuce os claudere, & foramina illa totidem Cariophylis adimplere, in teganoque

con-

cōuolutam in ſpiras additis auellanis tritis, medulla pa
nis, oleo, uino Cretico, aromatibusq́ ad temperatiores
prunas certis momentis ſedulo excoquere, quo condi=
mento Leo. X. in minore fortuna, ioci cauſſa, ut conuiui
um exhilararet, Marianum Cucullatū ſalſum & ridicu=
lum hominem memorabili impoſtura decepit: Nāq; fu=
nem inſtar lampetræ incoctum, multoq́ illo iurulento
immerſum grandi in patina appoſuit, ut notā omnibus
eius edacitatem, gulamq́ eluderet, qui iam magna pulta
rij parte abſumpta pſeudolāpetram aggreſſus, diu, mul=
tumq́ cum ea maxillis ac dentibus inhærente colluctа=
tus, cachinnum cūctis tollentibus facetiſſime reſpondit:
Vtinam ſic mihi ſæpius illudatis, nā in hoc cōdimento
non mō funes, ſed & ipſas catenas, quibus inſani uobis ſi
miles uinciuntur, & cū uoluptate quidem abſumerem.
Cæterum lāpetrarum pulpis nullā uim noxiā ineſſe pu=
tandum eſt, quando & duricie & lento pingui, prſus ex=
poliatæ ſint, quibus maxime cōditionibus piſces ſtoma=
chis incōmodi eſſe cōſueuerunt. Dicere autem eas ab oc
cultiore poteſtate neruis aduerſari, impudentis uel ſcru
puloſioris ingenij eſſe putamus.

De Trocta. Cap. xxxv.

Quid Trocta Romanis antiquitus fuerit, haud facile
adfirmauerim, quando unus tm̄ e latinis Ambroſius, ſo
lus ex omnibus græcis authoribus Aelianus Troctam
nominarint, & id quidem admirandum eſt, quum omni
um qui dulcibus in aquis generentur, hic piſcis lōge no
biliſſimus æquali cunctarum gētium iudicio cenſeatur,
q̄obrem in hoc p̄ſertim piſce cōdonandam mihi ab eru=
ditis ueniam exiſtimo, ſi ingenue me nondum eius uoca
bulū a ueteribus uſurpatū reperiſſe, minime inficiabor
Sed Troctā de luporum gn̄e fuiſſe apud antiq̄s credide=
rim

rim, uti Moderatus Columella curiosos atq; oculatos lectores admonere uidetur, quum lupos sine macula piscinis includi posse asseueret, aliosq; esse lupos dicat, qui uarij appellentur, ita ut luporum alij sint sine macula, id est, marini, qui & amnes subeant, alij uarij, hoc est, fluuiatiles, qui dulcibus in aquis generentur, unde & Troctam ab aliqbus inglorijs authoribus Varium maiorē appellari uidemus: certe Trocta admodum uaria est, nigricantibus maculis totum dorsum speciose pingentibus. Spigolæ uero unicolores potius atq; argenteæ esse uident̃, quanq; & ipsæ ueluti ad retinendā Lupini generis appellationē, subatris punctis, sed minoribus & languidioribus, q̃ in Troctis uideamus, notatæ sint. Neq; enim arbitrandum est Columellam per lupos traductos in Ciminum & Sabatinum lacus, uel Troctas uel Lutios intelligere uoluisse, supuacaneum enim fuisset Troctas indidisse, q̃rum maximam copiam suburbani amnes om̄i tē pore suggererēt, ut ex Reatinis, Sublaqueanisq;, & ex ipso Tyburtino Aniene quotidie uidemus. Præterea, neq; Romanæ luxuriæ neq; admirabilioris magnificentiæ fuisset, alios q̃ pelagios pisces illis in lacubus dissemi nasse: de marinis enim Columella loquebat̃, & quidē nobilissimis, ut de auratis & murenis simul cum lupis ipsis clare testatus est, quos tñ oēs deficiente paulatim eorum sobole, quum diu naturæ repugnare nequerint, penitus interijsse manifeste uidemus. Improbumq; illud factum & dictum luxuriosum Philippi apud Cassinatē hospitē certissimam facit cōiecturam, lupum illum, quē ut insulsissimi saporis expuerat, & pbro subinde fuerat psecutus, fuisse Troctam, quum in illis amnibus Cassinatium, Soranorum & Arpinatium Troctæ plurimę capiant̃, quas spigolis tyberinis pinguioribus minime comparandas

Philippus esse iudicabat. Plinius quoq; aliquos lupos à candore lanatos appellari dicit, & illud quidē proprie & erudite: nam lupos, id est, Troctas in uniuersum secū dum carnes rubescere, Spigolas autē pelagias pariter ac tyberinas insigni candore albicare clariss. constat. Caete rum Troctam non facile in Tyberi reperies, sicuti nec i psam Spigolam alijs in amnibus urbi propinquis. Cur autē solus Aelianus Troctam ampliore elogio celebra rit, ꝓpterea id accidisse putauerim, quod ille fuerit Prae nestinus, apud quos Troctae plurimae subiectis in amni bus capiant. Qua etiam ratione D. Ambrosium antisti tem Mediolañ. ueluti Larianis Troctis assuetum, uulga to etiam tum eius piscis nomini inseruire uoluisse, credē dum est. Sed Aelianus Troctam è gñe marinorꝝ facit, q̄ cū delphinis pugnare soleat, sic ut id nomē nostratę tro ctae parū cōuenire uideatur: eā dicit cōtinuos habere dē tes, & eos quidē incisorios, captamq; hamo nō retroce dere, sed cōtinue sequi, ut eo deglutito, inferiusq; demis so, lineā abrodat. ꝓpterea à piscatoribus hamos ansae lō gioris fuisse excogitatos, saltatrixq; ab eo Trocta appel latur, qđ & nos hodie uidemus, nā eas aduersus amnes, uel è ꝑruptissimis etiam cautibus decidentes incredibili impetu subire cōpertum est: ab Nare enim fluuio in Ve linū lacum, q hodie pedelucus est, stupenda uelocitate, uolucrum mō ascendere creduntur, qui lacus ab altissi mo mōtis uertice certis primo coarctatus angustijs, & mox tota aquarū mole praecipitatus, nec subiectis qui dē cautibus madefactis, ueluti è coelo in ipsum profluen tē Narem effunditur. Nos q̄q; Troctas maiores audiui mus in Larij ripis lasciuo excursu extremas harenę mar gines aliquando ad iusti passus longitudinē prosulcas se. Troctae longe om̄ maximae centum aliquando libra

o rum

rum pondo Lario in lacu progignuntur, & quidem omni alio, uel marino etiã pisce sapidiores, præsertim si Maio mense & in Bresciæ torrentis ostio capiantũ: mortuę pau cissimis horis summam illam saporis gratiam amittũt, qm̃ ob pinguẽ illam teneritudinẽ q̃ ocyssime cõputre-scunt. Coquuntur cõcisæ in tabellas in lebetibus lapide is torno fabricatis, simplici in aqua, multo sale indito, a-liaq́; subinde accersita cõdimẽta penitus aspernantur. Musco enim q̃dam pruinæ simili paulo post spõte emis-so, rubentes pulpæ protinus efflorescunt, ita ut quum re frixerint multo gratiores esse uideantur. Morus tñ no-bilis parasitus, qui plurima eruditiora q́; in obsonijs pul menta cõmentus est, Troctam cubitalẽ in prępinguis ca pi iure coquendã esse censebat, sicuti & phasianum adul tum, quẽ mediocriter in eodẽ capi iure elixare, ac demũ ad auertendam ariditatẽ, quæ torrendo cõciperetur, o-menti hœdini reticulo multis Cariophylorum clauis cõ fixo inuolutum ad mitiorẽ prunarũ uaporẽ in ueru per coquere cõsueuit. Soleo ego plerũq; mirari q̃sdam, qui ut sapientiores uideantur, Benacinum Carpionẽ, Pada-num Silurum, & e mari plures pisces Larianis Troctis uel anteponere, uel exæquare solent, & itẽ Soranæ Tro ctæ in eo gñe principatum attribuant, quũ maxime fal-lantur. Neq; enim obsoniorũ adeo imperitus esse possũ, ut temere de hac re iudicare sim existimandus, quum ex supero inferoq́; mari, cunctisq́; prope totius Italiæ lacu bus ac fluminibus nobilissimos pisces lautis sæpe cõui-uijs gustauerim, & certa cõparatione cõtulerim, sed for tasse euenit, ut homines ea maxime præbent esculenta, quibus à pueritia insueuerint, uti nobili accidit Floren-tino, qui quum in cœna Leonis Pontificis pelagij pisces uario discumbentium iudicio certatim atq; impense lau

da-

darentur,extollatis,ut lubet,inquit,cõuiuæ marinos pi-
sces,ego certe Thrasymeniam Tincam conditam Leu-
cophago,his uestris Triglis,Spigolis & Rhõbis p̃tule-
ro:qđ dictum ut insulsum, omĩbus præ risu lachrymas
excussit,& in ꝓuerbium paulo post receptum, authori,
qui antea ignotus erat,maximã attulit claritatẽ.Assue-
uerat enim ille Tincæ pisci,qui a Florentinis mediterra-
neis hominibus,sacri p̃sertim ieiunij tpe,in summo ho-
nore habetur.Troctæ pinguiores,ut sunt Larianæ,mul
to succo replere corpora,genitaleq́ humorem copiose
suggerere dicunt,uti Auicen.de omĩbus ꝓpe piscibus,
si recẽtes & calidi comedantur,uno edicto ꝓnunciauit,
ægris tñ euidentiss.nocẽt,utpote q̃ tarde,laborioseq́ in
stomachis atterant & secernantur.At fluuiales,quæ ad
uerso torrentiũ impetu fatigantur,atq; occurrentibus in
æqualium uadoꝝ petris illisæ castigatiora sumina & a-
ridiusculas carnes ostendunt,Medici blandiores ægris
apponere cõmendareq́ nõ dubitant.Quas etiam in pa-
ralyticoꝝ cibarijs magnopere laudauit ille Plin.qui ele
gantẽ librũ de morbis atq; remedijs cõscripsit.Fuit is ꝓ-
culdubio Plinio naturalis historiæ scriptore, & Plinio
Cecilio posterior,uocatusq́ est Plin. Valerianus medi
cus,cuius marmoreũ sepulchrum Comi,ubi Pliniorum
familia floruit,in tẽplo D.Probini,aquæ sacræ labello
suppositum,& pulcherrimis incisum characteribus cõ
spicitur.

De Tinca. Caput XXXVI.

Tincæ nomen nouitiũ & recens esse uideatur, quan-
do eius piscis prisci authores,uno excepto Auson.
nusq́ meminerint.Est tñ celebratus apđ Ciceronẽ q̃dam
facetus orator Placentinus,cognomine Tinca, qui for-
tasse ab eo pisce sit cognominatus, quemadmodũ Florẽ
tiæ Laurẽtius Medices senior,uti erat ꝑurbanus, cuidã
celebris familiæ ciui se domi tincã ingentẽ exq̃sita arte

ctam falso iactanti, Tincæ cognomẽ, quod illi postea fu it æternum, indiderit. Ego uero palustres hos pisces nul lo in pretio apud antiquos fuisse putauerim, & propte- rea nullis literarũ monumentis fuisse celebratos, meque plurimum mouet Ausonius, qui Tincas & Lutios igno bilissimis piscibus adnumerauit, neq; eũ uetera uocabu la subditis nouitijs nominibus supprimere credendum est, quũ cæteri oẽs pisces ab eo ueteri nomine celebrent. Sed Tinca q̃q; plebeius sit piscis, sicuti tota ferme Italia cõspicimus, & Ausonij quoq; testimonio notũ est, quũ dicit: Virides uulgi solatia Tincas, aliquando tñ in lau- torũ mensas uenit, & ex his Romæ p̃sertim Marsicana e Fucino lacu, qui nunc Celanus dicitur. Fucinianæ labrũ inferius tritum hñt, qđ eius generis inditium est, quippe q̃ plurimum saxoso eius in lacus uado uolutentur. Fert & laudatissimas puus ille lacus q̃rtodecimo ab urbe lapi de apud Bacanam syluam, quã Antonino Pio notam iti nerario esse uidemus, quibus nõ mõ plebeij, sed splendi- di etiam optimates sæpius uescantur. Nobilis ille inter aulæ proceres lõge oĩm ætatis nostræ popinalis lautitiæ studiosissimus, qui ducenta milia aureorum nummũ, in uentrẽ se cõdidisse aliquando gloriatus est. Tincas Ba- canianas autumno captas, alio, laridoq; contritis, addi- tisq; odoratis oleribus & multo aromate, in teganis ad uaporẽ tepidioris furni fœlicissime pcoquebat. Fert & Tincas, q̃q; minores, sapore tamẽ minime cõtemnendo sanctæ Praxedis lacus, in Latij, Sabinorumq; finibus, q Regillus antiqtus fuit, illa nobili deuictis Samnitibus pugna celebratus, sed eæ cum Rais & Squatinis, cæteris q; uilissimis piscibus apud Pantheon ignobili foro infi- mis hominibus uenundantur. Platina in culinarijs suis fœde lapsus est, quum Tincas antiquitus Mænas fuisse

existimauit, quę sine cōtrouersia ij sunt pisces, qui Menulæ uel Giruli a Venetis appellantur, pisces inquam noti & Ciceronis authoritate uilissimi. Cæterū medici tincis omnibus uim quandā inesse ad progignendam febrem existimant, qm̄ maxime in cœnosis degant, et putrescentis limi sordibus uescantur. Verum eas scissas per dorsi lōgitudinem, pedumq; & manuum plantis applicatas ardentis febris feruoribus plurimum aduersari quidā putarunt ex secta Iudæorum, q quāq; sordide admodum, & ridentibus alijs talia experirentur, aliquando tn̄ ipsis ęstuantibus exoptata blandimenta fœliciter attulisse cōperti sunt.

De Lutio. Caput XXXVII.

LVtius nusq; mari, ubiq; autem stagnis ac lacubus cū Tincis frequētissime reperitur, qua una ratione, qui cum antiquitus Lupum fuisse existimant, manifeste conuincuntur. Ausonius quoq; Lutium nominat cum Tinca, quem tamen ab olido nidore ingratum mensis esse testatur, propterea nō facile dijudicauerim, an is sit qui Lutius ab Italis, à Gallis uero Broscettus dicitur, qm̄ is ingratos secundæ classis ipsorū fluuialium, in Gallia Belgica censeatur. Venditant eum omni tpe uiuum, innatantemq; ligneis uiuarijs Britani, uentremq; illis ultro cultris aperiunt ad ostentandam eorum pinguedinem, quæ plagis exprimitur, ut emptores aspectu suminis alliciantur, neq; refutati propterea cōmoriuntur, coeunt enim protinus patentia uulnera Tincarum contactu, q earum tenaci illuuie, ueluti glutinoso medicamine solidetur. Thrasymenus lacus eius generis lōge maximos atq; optimos nutrit, bicubitales enim aliquando excessere magnitudinem, post Thrasymenios è Cimino, qui hodie Rusilloni lacus dicitur (fuit is uicus antiqtus rus Syllanum) laudatiores Romæ habentur; nam q̄s præ-

bet Bracciani lacus, qui olim Sabatinus fuit, & sapore et magnitudine sunt inferiores. Effigiē lutij, quū de lupo a geretur, adamussim exp̄ssimus, ita ut posteri, quē ego pi- scē lutiū nominarim, minime sint dubitaturi, hic piscis admodū salubris om̄ medicorū iudicio putat̄. Cęterum ab insulsa quadā pulparū siccitate nullā unq̄ȝ in optima tum mēsis laudē uel cōmendationem adeptus est, ita ut ij nostrates lutij cū Gallicis dignitate minime sint cōpa- randi, & te, tuosq̄ȝ conuiuas lautissime Ludouice aliquā do deceperint, quū obsonatores Galli incōperto adhuc agresti illorꝝ sapore dū emerēt, sola ꝓceritatis specie du cerentur, nō enim maximi semꝑ optimi, nā in omni gn̄e piscium media ætas, q̄ nondum summā magnitudinē im pleuit Cornelij Celsi authoritate cōmendatur. Ceterum Lutiorum mandibulæ tostę, in puluaremq̄ȝ redactę, si au rei pōdere cū uino sumant̄, in uesica & renibus calculos frangere consueuerunt.

De Rayna siue Barbaro Caput XXXVIII.

ALunt singuli Italiæ lacus suos pisces, qui cęteris eius generis anteferantur: Nam sicut in arboribus, cæte- risq̄ȝ animalibus uidemus, sic et in ipsis aquatilibus con tingit, ut aliæ atq̄ȝ aliæ aquæ diuersis piscibus occultio- re quadam proprietate, uel à terreno, uel à pastione, uel ab ipso demū cœlo prorsus accersita, non solū ad maio- rem corporis amplitudinem, sed etiā ad ipsam saporis fœlicitatem plurimum conferre uideantur. Probare e- nim ficus è Liguria solemus, Etrusca persica Vesuuia- nas uuas, à Clodia fossa, Padiq̄ȝ ostijs melopepones, Ap pulas amygdalas, Campana malagranata, Picentes oli- uas, è Romano agro poma apia, è Sabino pira mustea, Tarentinas iuglandes, Castaneas è Clauenna Rhæticis proxima alpibus, Nursina rapa, & ex Vmbria expetita

Romæ terræ tubera, ex animātibus itē boues Insubres, iuuencas Romanas, Tuscos apros, uitulas Surentinas, hœdos Vmbros, arietes Pistoriēses, gallinas Patauinas & colūbas Interamnenses à magnitudine saporeq́ plurimū commendamus. Larius igitur lacus ob longitudinē à Vergilio maximus nuncupatus, pisces lōge omnium maximos gignit, Troctas centum aliquando librarum pondere & Burbaros ducentarum, sed burbari illi ingētes uideri potius liquidis ac perspicuis in undis q̄ capi retibus possunt, quum ea impotenti impetu plerunq; dilacerent, subeunt solstitij diebus umbrosos specus, in rupibus Licinianis, quæ sunt in aduersa Larij ripa contra Insulam, Euripumq́ illum gemmeum à Cæcilio Plinio celebratum. Eos industrius quidam sacerdos sagittis arcubalista emissis, quū in profundo quiescentes, fuscinis atq; tridentibus attingi non possent, uulnerare conabat̄, neq; tamen sagittæ longo alligatæ funiculo, nisi auersis officiebāt, quum illa squamarum serie thoracati earum ictus facile repellerēt. Sunt & in Mantuano lacu, qui restagnante Mincio amne late diffunditur, Burbari pisces sapore longe optimi, Nā Lariani sola magnitudine sunt insignes, raro n̄ bipedalem excedere magnitudinem solent, lati sunt, & ingentium subauratarum squamarum specie, rotundoq́ item labro auri colorem referēte, pinnisq́ pariter subcroceis longe pulcherrimi, eos Veneti Raynas, ipsi uero Ticinenses, Placentiniq́, & cæteri Padi accolæ Carpenas appellant. Humidiores carnes, sed tamē innoxias hn̄t, q͞ non tenaci sed aqueo potius humore abundent. Lingua aūt maxime ualere dicuntur, nam & sapore præstat, & uim habet augendæ Veneris, sicuti in Tincarum & Anatum linguis experimur.

De Polypo, Sæpia & loligine, Caput xxxix.

Præter

PRæter squamosos pisces, & lubricos, & planos, est etiam mollium genus, sic dictum, quoniam ad tactum molle sentiatur, ut sunt Polypi, Loligines, & Sepiæ. Cōstat Polypus corpore admodum paruo, & in medio ad emittēdam aquam fistulato, quod pluribus brachijs & crinibus instruitur, quibus, uti est omnium ferme piscium solertissimus, obuia quæque cōprehendit, ligat, inuoluit, atque flagellat, & ipsis denique ostreis siliceo tegumento egregie munitis insidias molitur. Sunt enim ei cirri multiplices, plurima in extremis prætenturis acceptabula, itemque frequentes pediculi, manusque plicatiles, quibus admiranda facinora, dum uenatur, edere cōsueuit: hiantibus siquidem conchis lapillum imponit, ut illis sese occludendi facultatem eripiat. Leonem, qualidam Murenam chelarum forcipibus necat, cirris inuoluit, complexumque sugēdo paulatim interimit. Repit quoque frequenter in terram, oleas ascendit, & in ædificia aliquando transgreditur. Refert Plin. Polypum insignis audaciæ ac magnitudinis in cetarijs Hispaniæ irrepsisse noctu ad lacus ligneos, salsamentaque exedere, & populari cōsueuisse, ad extremum præfectis fures obseruantibus, latratu canum deprehensum, expugnatumque totius familiæ concursu, atque ægre telis ac tridentibus fuisse cōfectum, cuius cadauer ad insignis pugnæ memoriam Trebius Niger proconsuli L. Lucullo transmiserit. Polypus ultra bimatum nō uiuit, quem expirare in Venere aliqui prodiderunt. Caput eorum chartilagine constat, quæ celeriter durescit, immaturamque illis senectam adferre solet. Carnes polyporum Galeni atque Athenæi authoritate duræ sunt, & difficillimæ digestionis. Si uero concoquantur, nō omnino malum, aut exiguum præbent alimentum. Salsugine autē sua Veneris pruritum excitāt, & mirifice languidis atque de-

defessis auxiliantur. Afferũtur Venetias ex Illyrici Dalmatiæq; ora sale inueterati, q̃rum acceptabula & extremitates cirrorũ à senibus ad parandã sobolem expetuntur. Alexis poeta in Pamphila, ut citat Athenæus, quũ incitamenta Veneris percenseret, Bulbũ & Polypũ ante alia celebrauit. Plinius quoq; ille, qui de Medic. libr. conscripsit, ut alibi diximus, Polypos cardiacis cõferre arbitratus est. Sæpia aũt & loligo in hoc differunt, q; Sæpia latior, loligo longior est: hæc rubrũ, illa nigrum in timore liq̃rem emittit. Inest loligini, q̃ hodie Calamariũ dicit, gladiolus pspicuus & Chrystallo persimilis: Sæpia aũt corpulentiam quandã hẽt inter spinam & os mediam naturæ fungosę atq; friabilis. Vtriq; sicuti & in polypo, sunt barbæ, crines, & acceptabula, sed aliquãto breuiora, quibus æscam corripiunt: corpor. uero aluei aliquanto capaciores q̃ in Polypis, quod natura prolixioribus postea capillamentis in Polypo cõpensarit. Sæpia, ut ait Atheneus in lib. de medicina piscium, elixa uentri confert, succus eius subtilẽ reddit sanguinẽ & mouet crisim per hæmorrhoidas. Oua aũt eius authore Plinio urinam cient, renumq; pituitas detrahũt. In uniuersum uero molliũ genus difficillime in stomachis cõcoquitur, si autem coquatur plenius nutrimentum præbet. Qua ratione, ut ait Athenæus, Venerem excitare dicuntur, nã in concoctionibus primis, quum maxime laboratur, uẽtum plurimum generari necesse est, quo maxime uirilia inflentur, & Venus ipsa, uel in senibus q̃q; languidula, reuiuiscat. Nobis uero manifeste cõpertum est, quæcũq; obsonia ex mollibus piscibus conficiantur, in stomachis studiosorum, aut ociosorum ægerrime coqui, multaq; subinde incõmoda corporibus adferri, q̃niam primæ digestionis uicia in hepatis, ac uenarum secretioni-

bus recte corrigi nõ possunt, neq; sanguis ad idoneã puri tatẽ elaborari, qua maxime de caussa, Clementi Põtifici Max. ex huiusmodi mollibus obsonia appetenti, in mensa palam totum eorum genus sæpissime sim detestatus.

De Locusta. Caput XL.

MOllibus piscibus crustacei succedunt, inter quos locusta primam obtinet dignitatẽ, eã Aristoteli Carabũ esse Theodorus existimauit. Oppianus aũt pro carabo leonẽ intelligit, qui Theodoro sit Cammarus: nã ubi prælĩũ Carabi cum Murena multis uersibus elegantissime describit, Carabus dẽticulato forcipe instructus exprimitur, quo murenæ collũ corripiat. Cæterum sine controuersia locusta est carabus, q̃q; ut ait Hermolaus, hæc nomina confundantur. Pedibus siquidem eius forcipes desunt, ut ait Aristoteles. Præterea locustã corpe rubenti, aculeato & aspero esse constat, ut ex Suetonio etiam apparet, qui Tyberium ait, apud Capreas piscatori faciem Locusta perfricari iussisse, q' ille à tergo insulæ per deuia atq; aspera, ut locustam dudũ captam offerret, ad se improuisus erepsisset. Cõtra uero Cammarus, qui Leo apud Plinium est, uti etiam nunc uulgari appellatione nuncupamus, & forcipes habet pro manibus, & corpore leui atq; cœruleo, multisq; subnigris maculis splẽdet, ut Arist. pulcherrime depinxit, et nos quotidie uidemus, quem etiam Astacũ appellauit Oppianus, nos uero Cammaros appellamus eos qui dulcibus in aquis reperiuntur, ad paruorum leonum effigiem, qui dum coquũtur, protinus rubescunt. Eorũ maxima habetr copia in Gallia Cisalpina, q̃ est frequẽtibus amuiculis irrigua. Sunt & Maiæ grandiores, rotundiore uẽtre, gressu in terra segnes, in aquis autem uelocissimæ, Veneti Grancevolas uocant, quarum rotũdioribus testis specula inclu

de-

dere ad elegantiã solẽt. Sunt & Paguri, Granciporri hodie nuncupati. Item Squillæ, siue Chelis, quas Oppian. cæteriq́ oẽs Græci Carides appellant, eas mirum in modum cõmendauit Apitius in coquinario opere, Romani hodie Cammerugias & Pernocias uocant. Sunt qui arbitrentur Squillas esse id cancrorum genus, quod gibbum Aristoteles appellauit, uidentur enim Squillæ ad modum Gibbæ. Quid autem sit squilla Iuuenali illo in carmine: Aspice q̃ longo distentat pectore lancem Quę fertur dño squilla. Ego putauerim illũ crustaceorũ nomina cõfudisse, uoluisseq́ intelligere pro Squilla Locustã aut leonẽ, q dñis apponi cõsueuerint, per Cammaros autẽ illos scilicet paruos designasse, q̃ locustarum ingentium collatione, ueluti minutuli, ignobilioribus conuiuis apponerentur, in uniuersum crustacea ab ouis commendatiora sunt, pinguescereq́ solẽt pleniluniis: authore aũt Gal. totum crustatorũ genus ob carnium duriciẽ difficillime cõcoquitẽ, salsumq́ humorẽ adgenerat, sed aliquanto mitiorẽ ipsis testaceis, de q̃bus mox agemus. Cancri autẽ & cancelli, q caudã non hñt, latoq́ corpe & ualde rotundo cõstant, quiq́ colore rufescunt, & appensi lineis apd' sacellum Hadriani põtis uenundantur. Hecticis & lenta febre laborantibus mire conueniunt, q̃niam humidum, leueq́ & ualde refrigerans alimentum p̃bent, præsertim si (uti præcipit Galen.) in aqua prædecocti magna ex parte salsuginẽ innatam exuerint: hunc cancrum, qui græce est carcinus, si in patella uratur uiuus, sub canis syderis ortum, quum sol in leonẽ Zodiaci transit, à rabido cane commorsis mirifice auxiliari Aeschirion Galeni præceptor affirmauit. Pelops autẽ Medicus Galeno etiã familiaris id à q̃litate materiæ ipsius cancri, non autem à peculiari eius naturæ proprietate

puenire testatur, cuius opinionẽ nemo ferè secutus est. Sed Dioscorides intellexit de fluuialibus cancris, quos cum uite alba concrematos admista gentiana, rabie affe ctis prospere semper exhibuit.

De Ostreis & alijs testaceis. Caput XLI.

E Testaceorum gñe Romæ in pretio habentur Ostrea, Pectunculi, & Tellinæ. Ostrea mittit Corsica, sed raro & sæpe olida, qm̃ aduersis tẽpestatibus impedita nauigatione, uel prædonibus Mauris intercluso mari, nõ facile ad urbem perueniunt. Eæ uero quæ à Pisauri litore paucis ante annis afferebantur, extincta ueluti earum progenie penitus abierunt. Ostrea, quum Romana res magnitudinis atq; luxuriæ fastigium teneret, à Brundusio in Lucrinum lacum transportabantur, quæ ueluti ea peregrinatione gaudentes, adoptatæq; dulcibus aquis mirifice pinguescebant. Fuereq; Ostrea adeo in honore ipsis gulæ proceribus, ut in remotissimas à mari regiones ligneis lacubus apportarentur. Refert Athenæus Apitium nobilem parasitum, qui superioris nomine ap pellari promeruit, uasis summa industria fabricatis ad Traianum in mediterraneis Mœsopotamiæ cõtra Parthos bellum gerentem recentissima Ostrea detulisse: ea maxime probantur, q̃ magnarum nauium carinis adhærent, & ab urinatoribus de manu colliguntur. In uniuersum Ostrea, ut ait Galenus salsum humorẽ aggenerant, & præsertim si cruda comedantur, propterea tentiginẽ in salacibus plurimum adaugent, aluum quoq; ea mouere Plinius Med. asserit, qui & eorum testas ambustas dissentericis prodesse, frixam uero eorum carnem à ueneno comesti leporis marini liberare testatur. Plinij autẽ naturalis historię scriptoris authoritate, stomachum reficiunt, fastidijs medẽtur, molliũt leniter aluũ, tenasmo-

nicos iuuant, & Veneris pruritum salsugine sua uehe-
menter incitant, coctaq; in testis distillationibus, psunt.
Affinem Ostreis Pectines siue Pectunculi, qs hodie Cõ
chulas dicimus, naturã atq; saporem habent. Sunt stria-
tæ & subrubra carne, & in Tarentino sinu laudatissimę,
& grandiores quę auriti Pectines latine appellantur, un
de Horatius dixit: Pectinibus patulis iactat se molle Ta
rentum. Sequuntur paruæ illæ conchulæ à ueteribus la
tinis Mytili, à Romanis autẽ hodie Græco nomine Tel
linæ nuncupatæ, quæ bellariorum locum obtinent, sunt
enim gratæ gustui, uerum arenulis scatent, et propterea
calculosis officiunt. Cinerem earum casum pilorum in
palpebris prohibere Oribasius affirmat. Sunt & alia cõ
charum gña prope infinita, ut Purpuræ, Buccinæ, Au-
res, Digiti, Vngues, Patellæ, Cochleæ, quæ consulto p̃-
terimus, q̃niam suburbano in mari rarissime capiantur.
Est & echinus non ingratus principum mensis spinoso
castaneæ tegumento assimilatus, cuius generis est Echi-
nometra multo maior, in alto tantum mari progenitus,
quem Aristot. urinæ distillationibus efficacissime mede
ri testatus est, uenit & inter mensarum delitias Vertibu
la siue Vrtica, callus quidam ad magnitudinem iuglan
dis, cuius durities, ut ait Aristot. media est inter testam
& corium, colore subpallido & rubenti, ea frequenter
in Pyrgorum litore ad Centumcellas reperitur, quam
sicuti palato iucundissimam, ita & stomachis minime
insalubrem esse cõijcimus.

De salsamentis. Cap. xlij.

SVperest ut de salsamentis pauca attingamus, quæ a-
deo in honore apud Græcos fuerunt, ut Athenienses
Chereptrili, q salsamenta uenditabat, filios in gratiã pa-
tris ciuitate donarint. Romani quoq; huic rei plurimũ
studuerunt, ut ex Plinio licet cõiectari. Garum ante alia

in pretio fuit, liquamen ex salitorum Scōbrorum muria cōfectum, qđ in uarios culinæ usus ueniebat, conficiebatur optimum in Aphrica, qđ sociorum quoq; appellatū est. Sed id hodie penitus exoleuit. Maxima nunc gratia est Cephalorꝝ ouis, q̄ geminis folliculis circumcisa parte suminis, recentibus cephalis eximunť, q̄ græco nomine passim Oa Taricha, id est, salita nuncupātur. Secundum Oa Taricha eminet cauiarium qđ ex sturionum ouis in pōto cōficitur, ita ut salita in massam ingentē cogantur, & cadis includantur, cruda ea comedimus, uel in panis crustulis ad prunas ustulatis, modico emīgne salsamenta in uniuersum indigēt, authoritate Athenæi, q, quum de celeriter factis loquimur, in ꝓuerbium cessisse ait, Citius q̄ salsamenta coquantur, sicuti de Asparagis Latini usurparunt. Cauiaria Iulio secundo Pon. Max. mirifice placuerunt, ꝙ deiectum ei ciborꝝ gustum sæpius alleuassent, & siti, uinisq; pariter, ut in senibus accidit, mire lenocinari uiderentur. Sunt etiam in summa cōmendatione ex ipsis sturionum pulpis Spinalia, sic uulgo nuncupata, q̄ laricinis lignis assimilantur. Laudant & Moronem, ignoti nobis piscis ꝑdura frustra, ualdeq; rubentia, q̄ Mæotidis paludis accolæ mercimonij caussa transmittunt, ea prius exedi cōmode non pn̄t, nisi aquæ calidæ ꝓfusione molliantur. Sardæ quæ Plinio, Theodoroq; sunt Trichiæ, itemq; q̄ uocantur uulgo aleces aliquanto Sardis minores, in magno usu alēdis familijs existunt Sunt ij digitales pisciculi, q lōge optimi in Liguria saliuntur: eas aliqui Apuas esse uoluerunt, que authoritate om̄ fere antiq̄rum ex limo fiunt, & in magna copia apud Pyreum Athenarum portum capiuntur. Ex Cimbricis quoq; litoribus Aringhæ, pedales pisces in cratibus, sale ac fumo inueterati, nobis afferuntur, quibus Hermo-

laus cum eas citaret proprium nomen nō indidit, utpo=
te qui Alecis uocabulum ab illis gētibus usurpatum nō
probabat. Adducuntur q̄q; ex finibus Gothiæ atq; Nor
uegiæ cubitales Merlucciæ, adeo duræ & extentæ, ut fu
stibus assimilētur, quas in delitijs Germanorum, qui ur
bem incolunt, esse uidemus. Sed Thynnis præcipue fo=
ra omnia & tabernæ salsamētariorum replentur, de qui
bus late in proprio capite disseruimus. Salmones etiam
Gallia Belgica quotannis mittit, sed in plebis usum, quū
saliti pristinā nobilitatem amittant. Cæterū ex salitis pal
mā, om̄ confessione ętate nostra obtinēt carpiones ex Be
naco lacu, qui subfrixi modice saliuntur, referunt ij Tro
ctarum saporem, atq; ipsam corporis speciē, nam & pul
pæ eorum rufescunt, & argentea tergora uarijs punctis
depinguntur. Sed quæ in Troctis nigra sunt, in carpio=
nibus rubra cōspicimus, ita ut is piscis, qui Ausonio Sa=
lar uocatus est, proculdubio esse uideatur, quum in Mo
sella dicit: Purpureisq; Salar stellatus tergora guttis.
Nullibi q; in Benaco ex omni Italia carpiones gignun=
tur, propterea factum esse crediderim, ut antiqui qui de
piscibus scripserunt, ueluti de ignoto pisce potius q; de
ig[illegible]obili nullam fecerint mentionem. Porro omnis ge=
neris salsamenta sanguinem inflamant, bilem augent, &
stranguri js obsunt: his uero qui multa insulsa pituita re
pletum habent stomachum, siccando, detrahendoq; au=
xiliantur, immoderate uero his utentes, uel etiam
senes ipsos uehementer ad Venerem incita
re, pleriq; authores tradiderunt.

FINIS.

Anno M. D. XXXIIII. Argentorati.



005644099